IMMUNITAS ECCLESIASTICA

Jure tum Divino tum humano in aliquibus [illegible]iam Statutis Regni Poloniæ adversùs Impugnatores suos olim.

PROPUGNATA.

à R. P. IGNATIO GŁOWACKI SOCIETATIS JESU.

Nunc verò

MAGNO NOMINI Et HONORI

PERILLUSTRIS Et REVERENDISSIMI

DOMINI DOMINI

ALEXANDRI GEMBARTH

Almæ Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis & Collegiatæ Vielunensis Canonici, Præpositi & Officialis Calissiensis

Unà Cum Conclusionibus Academicis

DEDICATA

Calissii Anno Domini 1758. Die 26. Januarii.

Typis S. R. M. Collegii Calissiensis Societatis JESU.

IN AVITUM STEMMA.
PERILLUSTRIS Et REVERENDISSIMI
DOMINI



Hæc Tibi sine Laudi, Naso quæ dixerat olim:
Odimus Accipitrem, quia Semper Vicit in armis
Ovid: l. 5. Metam:

Utq; etiam Summæ linquis vestigia famæ
Stemmate de Solea Cernere quisq; potest.

PERILLUSTRIS
Et
REVERENDISSIME
DOMINE

Quanquam me pridem, & Tua amplissimi Majestas Officii, & longè maxima promeritorum gloria, & mea quoque, qua Tecum agi par est, grati animi memoria, ad istud Tibi persolvendum Officium vehementer accendebant; tamen hoc aditu laudis, non mea me voluntas, sed partim vitæ meæ ratio, partim Tuæ in omni laudum genere amplitudini impar oratio prohibuêre. Nam cùm antea, neque tantùm in me, aut ad dicendum facultatis, aut ad scribendum virium copiæque inesse scirem;

quantùm non dicam ad exornandas, sed ad enarrandas etiam res à Te præclarè gestas sufficeret: statueremq; nihil Tibi nisi perfectum ingeniô, elaboratum industriâ offerri opportere: silentiô admirari malui, quàm celebrare præconiô. Ita neque Tu vacuus unquam ab iis eras, qui meam in exornando Te supplerent vicem: & meus labor in quotidianæ exercitationis usu fructum est amplissimum consecutus. Nam cùm Coronam Divinæ impositurus scientiæ, Theologiæ nimirum, non meô quidem meritô, quod sentio quàm sit exiguum, neque aliqua ab optimarum artium disciplinis profecta ratione, in qua me non inficior mediocriter versatum esse, MARIANÆ Academiæ (: *ut scholasticâ loquar formulâ:)* Rector *renuntiatus sum, non longa, mihi investigatione opus fuerat: cui porro strenuissimo Christianæ Reipublicæ Heroi hunc quasi gladium consecrarem. Præterquàm enim quòd longè maximus scientiarum Amor, peracres mihi stimulos, unàq; multò svavissimas addebat illecebras: ipsa adeò cùm humano, tùm Divino etiam jure, in hoc aureæ libertatis Regno propugnata Christianæ Reipublicæ immunitas, quorundam tamen non modo sine ulla Religione, verùm etiam dissimulatione in omni genere convitiorum impugnata, sacrâ profanaq; permulta privatim & publicè spoliata, clamare, atque à Te expostulare subsidium videntur: ut & pro Tui ratione muneris, & pro Polonæ libertatis studio, hac calamitosa temporum tempestate, utinam non in eadem, uti Svecica olim, navi navigantis!* (:a:) *moritura Svecica libertas atrocissimè libertatem Ecclesiasticam arrodebat, ut simul morerentur, & quod caput est, pro DEI Ipsius amore, ut inquam his quasi vocibûs & lachrymîs ad misericordiam incitatus, jacentem extollere, ac pristinam ejus dignitatem, immunitatemque amplificare non graveris Cùm præsertim neque ita certîs adstrictam limitibûs potestatem habeas, ut quidquid hac in parte volueris, id non possis: neque eam voluntatem, ut quidquid potueris, id non velis.*

Quodsi igitur vel prima hæc Christianæ Ecclesiæ immunitas tantô ad consecrandam se Tibi incitamentô est; quantô validiores in eam ipsam rem oportet esse illas cæteras ex sese maximas, illas præcellentissimas dedicationis istius rationes? Nam licèt opus istud publicæ omnium utilitati imprimi, at verò privatæ nullius laudi consecrari potuit. si tamen illud dedicandum suscepi, suscepi potissimùm illi, cui & longè nobilissima materiæ ejusdem dos, & loci, temporis, Congressûsq; nobilissimi ratio, & ipse denique, cui tandem dicandum foret, omnibus istis Causis,

(:a:) Maimb: de malo Hæres:

ingeniô,

ingeniô, virtute, nobilitate, Officiô mirum in modum faceret. Verùm cùm unus iste Tu ipse sis OFFICIALIS Præstantissime suscepi consecrandum Tibi, præterquam nemini. Fateor quidem in profana sacraqué Republica permultos esse, à quibus officio superaris, illos tamen tales esse, quibuscum agere, neque ob meam privati hominis rationem, tantum me Animi habuisse, neque, si id quidem velim, ita faciles aditus ad Eos esse, quin densissimas Suæ Claritudini offundi tenebras, Authoritati per me inuri labem quererentur. Te autem si adeò facilem domi habeam, ut qui, dignitate maximis quibusdam excellis; facilitate par infimis esse videaris: ecquem profectò alium aut ingeniô, aut authoritate, aut probitate, aut optimarum artium studiô, aut innocentiâ, aut ullo genere laudis præstantiorem quæram foris?

Age amabò quàm longissimè potest mens Tua respicere spatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari ultimam, inde usque repetens, quibus affinitate successisti, computa, & nihil unquam magis esse ex vero dictum deprehendes. Tota Dobrinensis Terra, quin tota adeò Polonia, haud unquam de Vestris Laudibus conticescet. Avus Tuus, quem, & alios cæteros honoris causâ memoro ALEXANDER GEMBARTH Venatoris Dobrinensis perfunctus Titulô, quamvis ad publica Regni Tribunalia inter Judices Deputatus, eidem Officio sit immortuus; immortalem tamen vel inde consecutus Laudem; quòd quantum Ipse de Universa Polona Republica sit meritus, tantundem quoque optimi Patris studium æmulabantur Filii ADALBERTUS Venator, IGNATIUS Vicariam Judicis Dobrinensis potestatem gerens, MIROSLAUS, MICHAEL, ille Dobrinensis Præfectus Ærarii, hic Dapifer, illi Patrui, hi Cognatione Patrueles, Amore, virtute, Nomine, Ingeniô Germani omnes. Te verò FRANCISCE GEMBARTH Germane Officialis Dignissimi Frater, quibûs Laudibûs efferam? quibûs studiis prosequar? qui cùm Ipse, quà prudentiâ, quà Nobilitate præstanti ad Commendationem Polonæ Reipublicæ mirum in modum facias; tum eidem ad bene sperandum de Tua in Tuis Filiis, ALEXANDRO, JOSEPHO, GASPARO, virtutum animiq; imagine, quasi signum aliquod sustulisti. Eximium enimverò Nomen & quod conferri haud quaquam possit, quin per se adeò eximium, honoratissimumqué efficiat; Cuicunque demum (:adeoque & Tibi Germana Perillustris Officialis Soror THEOPHILA KOZUCHOVIO Pocillatori Vielunensi in

æquale Matrimonium collocata:) sit collatum. Vobis verò ecquis in lætissimos plausus gratulaturus non effundatur animô? qui cùm Ipsi ex sese sitis Nobilissimi, tum eò honoratiores videlicèt, quòd cum Nobilissima GEMBARTHORUM Familia, multiplicî VOS pridè ex Patre affinitate devinxistis DZIAŁYNSCII, LASOCCII, KOZOBUCCII, ZALESCII, PONINSCII, LESZCZYNSCII, BALINSCII, KRETKOSCII, KRESCII, KONARSCII, NOKWASCII, PAWŁOWSCII, MACHINSCII, KOZUCHOWSCII, ULATOWSCII, MOLSCII, BILINSCII, WILCZYNSCII, BINKOSCII, GOLIMOWSCII, KALISZKOWSCII, PAPROCCII, MASŁOWSCII, OYZANOWSCII, MORSZTYNOWII, CIELECCII. Quid verò de illa altera, quâ VOS exornari video, æquè nobilissima Maternæ Partis Prosapia commemorem? KRASZKOWSCIIS? KAMINSCIIS? PĄGOWSCIIS? DORUCHOWSCIIS? STOCCIIS? KACZKOWSCIIS? LUBSTOSCIIS? BILSCIIS? KOMECCIIS? RYCHŁOWSCIIS? JARACZESWCIIS? OLEWINSCIIS? PRZESPOLEWSCIIS? JANISZEWSCIIS? infinita sit oratio, si nullam ex omnibus his Prosapiis, quæ in longè Nobilissimum GEMBARTHORUM Nomen promanarunt, Gloriæ partem, certa hujus scriptionis ratio non velit à me prætermissam. Quid igitur tantumne è GEMBARTHORUM Nomine profusum lumen, tantus splendor, meam privati hominis obscuritatem non illustret, quod toti illustrandæ Poloniæ non est impar? Sentio, Præses dignissime, qua parte occurri fortasse orationi huic meæ à quopiam possit dixerit fortasse aliquis, pulcherrimum Tuis olim Majoribus, tantam Tibi Laudis Copiam reliquisse; at verò Tibi nequaquam Gloriæ id ducendum, quam accepisti Laudem, conservasse, nequaquam verò amplificasse, aut si amplificatum sit quidpiam, illud exiguum, illud obscurum esse, illud eorum, quæ acceperis, obrui magnitudine. Ineptam enimverò orationem, quam vel ille proferre audeat, qui sit omnium ignarus rerum! Ego verò nihil me magis ex re facturum puto, quam ut Sacrum hunc librum, à sacra Tua Auctoritate sanctiorem redderem, ideò verò sapientissimum, ut pari in Te fœderetur Sapientiæ. Plurimùm ad pretium gemmarum refert, in aurea scitè includi emblemata, promicare ex annulis, nitescere è Coronis. Quid enim authoritatis, quid sapientiæ, ad gerendum hocce, cui Tu suppar, officium, requirat quispiam, quod in Te desideret? Sapientiam quidem quod atti-

net,

net, nondum planè ex ephebis excessisti, cùm primùm in Polonia, nam isthic natus es, liberalissimis affluenti studiis celeriter antecellere omnibus ingenii gloriâ contigit; Tum tantus in Te discendi exarsit ardor, tanta fames, ut Te Romam ad Theologica conferentem studia, non difficultatum horror ad contemptum, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas Urbium ad cognitionem, non denique labor ipse ad quietem, ab instituti Cursûs celeritate retardarunt; ut quantò æterna Nativis, immortalia caducis, Divina antecellunt humanis: tantò Te Amantissimum Divinæ hujus facultatis extollendum tribuisses, quod ita profectò factum est. Sic enim Tuus deinde ad Poloniam adventus celebrabatur, ut famam ingenii, exspectatio hominis, exspectationem ipsius adventus, admiratioque superaret. Et quanquam permultos Viros excellenti animô, ac virtute fuisse sine ullo doctrinæ adminiculo Ipsius duntaxat naturæ habitu prope Divino moderatos & graves exstitisse fateor, imò & illud adjungo, sæpius ad gloriam & virtutem naturam sine doctrina quàm doctrinam sine natura profuisse: tamen cùm ad longè nobilissimas naturæ dotes quædam ratio, conformatioque doctrinæ accesserit; tum illud nescio, quid præclarum ac eximium solere existere. Quid ni igitur opus istud Tibi dicatum velim? quod cùm sit sapientissimum à Tua sapientia, si plurimum auctoritatis à sui argumenti nobilitate habeat, à Tuæ dignitatis splendore tantum Tibi lucis affundi gratuletur, quantum & illa affundit Tibi, dum Te cùm ob dignitatem Nominis, tum quòd virtutem studiis adjuvisti ad publica Regni Tribunalia Præsidem ter destinavit.

Ad extremum siquid loci opportunitas ad commendationem valet, in Karnkovianis Scholis Tibi dedico. Eximiam verò, qui mihi ad hoc persolvendum officium necessitatem imposuit, opportunitatem loci! Parietes Calissiensis Gymnasii gratias Tibi, ut mihi videtur, agere gestiunt, OFFICIALIS Dignissime, tantâ liquidissimæ voluptatis ubertatē, ex Te in eos promanasse, quòd cùm illis Viros ad exornandum clarissimos unàque Benefactores munificentissimos mors abstulerit; illos illustrissima cognatione conjunctos Tibi KARNKOVIOS in Te venerari, illis hocce in Te dicare opus videantur, agnoscunt videlicèt ac venerantur in Te suorum olim Benefactorum stirpem, suorum quondam Fundatorum Nepotem. Et quoniam à Celsissimo in hac nostra majori, imò tota adeò Polonia Principe, & summo Sacrorum Gnesnensi Antistite sua duxêre exordia; temperare proinde non possunt sibi: quin istius quoque Gloriæ

partem

partem Tibi deferant; cujus te promeriti Vicaria summi, quem nominavi, Principis in visitandis, lustrandisq; Ecclesiis demandata, participem potestas fecit.

Vides jam, nisi vehementer fallor, vides OFFICIALIS *Dignissime, quantum & pro mea privati hominis tenuitate nihil consultius, & pro harum Nobilitate imò admirabilitate rerum, nihil præstantius, & pro loci opportunitate nihil illustrius facto opportuit, quamsit actum Unum duntaxat exorari à Te est super, nè quæso, quem omnibus cummulasti bonis, ei hoc unum neges bonum: nè Tibi accepta referam, quæ donasti. Id est, nè quæso, istud sinceri gratiqué erga Te animi documentum pertinaci quadam modestia Tibi non oblatum pergas; si enim mirabilem animi demissionem in tanto honorum fastu intendas: hanc Te in mea privati hominis tenuitate inventam putes; si amplificandæ Nomini Vestro gloriæ immortalitatiqué amore flagres: illud profectò istius argumentum operis, istud locus hic, Tuorum perpetua Majorum recordatio, istud meum quoque apud optimum maximumqué DEUM, siquid valeat, votum efficiet; ut non hæc Tua vita dicenda sit quæ corpore & Spiritu continetur: verùm omnino illa, quæ vigebit memoriâ sæculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa denique æternitas conservabit.*

ITA VOVET

Magno Nomini & Honori devinctissimus

PETRUS ROBOROWICZ
M. A. R.

AMICO LECTORI.

GLadium utraq; parte acutum [id eſt Jus utrumq; tum Divinum, tum Humanum] pro Defenſione Immunitatis Eccleſiaſticæ *Evaginatum*, manibus tuis ingero Amice Lector. Si acutus eſt ? gladium eſſe noveris, non ad offendendum, ſed ad defendendum tantùm. Neminem pungit, neminem lædit, qui Immunitatem Eccleſiaſticam prior non læſerit. Quod olim, Cherubim & gladius flammeus atq; verſatilis (de quo Geneſ: c. 3.) ante paradiſum voluptatis à Deo collocatus, ad cuſtodiendam ligni Vitæ viam, fuit; hoc idem eſt ImmunitatiEccleſiaſticæ, præſens evaginatus gladius. Pro cuſtodienda immunitate Eccleſiaſtica excubat. Quæ verò cauſa, ejus evaginandi fuerit, ſi quæris? hæc eſt. Cum pro Clero Dei, ac oppreſſa in Regno Noſtro à quibusdam Politicis Immunitate Eccleſiaſtica, agendum, ipſa recta ſuaderet ratio, zelî Domûs Dei ductus, ejuſdem Defenſorem, Iure utroq; tanquam gladio uſurus, agere propoſui. Eo enim proceſſit quorundam illorum audacia, ut electam Dei ſortem, & Immunitatem Eccleſiaſticam, ſuis ſtatutis & legibus circumſcribere, ac eam ſibi reddere tributariam non erubeſcant. Quod utrum rectè faciant, ex adducto Iure tum Canonico tum Civili, tum ſtatutis Regni Noſtri pro defenſione ejuſdem Immunitatis judicabis, Benevole Lector. Fateor me fuſiorem in pertractanda Immunitate Eccleſiaſtica Perſonali, eaq; Privilegii Fori, & Reali exſtitiſſe. Sed ne mirere; hic enim meus præcipuus & ſingularis in hac defenſione præfixus fuerat ſcopus, ut Politicos hujus ævi, qui in Regno Noſtro Immunitatem Eccleſiaſticam, præcipuè Perſonalem & Realem impugnant, informarem, & edocerem. De Privilegio verò Canonis & Immunitate Locali, eruditionis ſolùm gratiâ, breviter mentionem facio. In hoc autem Te Amice Lector, præmonendum volo. Cum ſtatutum Regni Noſtri cito, me citare ſtatutum illud, quod ex ſtatutis Łaſcii & Herbuti, ac Conſtitutionibus a Joanne Ianuſzowſki collectum, in ordinem redactum, ac Cracoviæ Anno Domini 1600. typis impreſſum eſt. Hanc defenſionem Immunitatis Eccleſiaſticæ, benevolô accipe animô Benevolentiſſime Lector, ac optimè vale.

IMPRIMATUR

THEODORUS POTOCKI
Archiepiſcopus Gneſnenſis, Primas
Regni & M. D. L. 17. Septembris. 1724.
(L. † S.)

MARTINUS TRAMPCZYNSKI
PRÆPOSITUS PROVINCIALIS SOCIETATIS
JESU per POLONIAM.

CUm Opus quod inſcribitur *Gladius Evaginatus idiomate latino* aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, potestate mihi facta ab A. R. P. Noſtro Michaële Angelo Tamburino Societatis Noſtræ Præpoſito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet ita videbitur. In cujus fidem, has Literas manu mea firmatas & ſigillô munitas dedi Leopoli die 13. Februarii Anno 1724.

M. Trampczynſki S. J. mpp.

APOLOGIA

Pro Statu Spirituali ad Politicos hujus ævi.

ACtum agerem, si præsentem pro statu Spirituali Apologiam, ad eos Regni nostri Poloniæ Proceres dirigerem, quorũ delicatæ conscientiæ, & teneritudini cordis profundè inhæsit primævorum Polonorum pro S. Fide Catholica, zelus, Divini Numinis, cultus, & præcipua Cleri ac Spiritualium veneratio. Non me enim latet, ac universum orbem, ab introducta in Poloniam S. Fide Catholica, Principes ejus & Incolas, acerrimos Fidei Orthodoxæ Defensores, Summorum Pontificum, & Statûs Spiritualis speciales Cultores, Episcopatuum, Abbatiarum, Ecclesiarum, Cænobiorum, & aliorum

piorum locorum liberalissimos Fundatores exstitisse, eamq; pietatem in præsentem diem vigere in Posteris. Res mihi itaq; est cum quibusdam hujus ævi Politicis, qui quodam innato odio, seu veriùs hausto ex continua, tum cum suspectis de Atheismo, tum cum Dissidentibus conversatione, venenoso spiritu, Statum Spiritualem exosi, Jura ejus & Privilegia convellunt; ad condenda contra Immunitatem Ecclesiasticam Statuta, Nobilitatem Polonam, tum in Comitiolis, tum in Generalibus Regni Comitiis commovent, eumq; exesse vellent è Regno Poloniæ. Cujus Spiritûs sint, eorundem, dummodo semotum ab omni pravo affectu, appello Judicium. Ipsimet decernant ex his, quæ pro defensione Immunitatis Ecclesiasticæ & Statûs Spiritualis adducenda proposui. Quanquam non miror eum illorū spiritum, quo afflati sunt in hac variarū sectarum ex diversis Gentibus, quæ non pridem totam inundaverant Poloniam, colluvie; consequens id fuerat, impiis ac injuriosis sanctæ Fidei Catholicæ, imbutos dogmatibus, sic insipere; ac Pseudo Politicorum, Hæreticorum, Atheorum virus in S. Matrem Ecclesiam, in servos & Ministros DEI, & quod majus est; in ipsum DEUM evomere. Quamobrem, ut ad sanam mentem & Veteranum Polonorum pro DEO, Ecclesiis, & Ministris ejus Zelum redeant; aliquot illis expono veritates, quas accurratè perpendant; eosq; in omni christiana

ſtiana charitate, & patientia illis alloquor verbis, quibus S. Paulus ſuos allocutus eſt Corinthios: *Non ut confundam vos hæc ſcribo, ſed ut Filios meos charisſimos moneo.* 1. Cor. 4. *Videte ne ſeducamini.* Luc. 21. Utinam cognoſcatis, *quis vos faſcinavit, non obedire veritati.* Ad Gal. 3. Quod ſi quis illorum ſe lædi à me putaverit, (abſit à me hic auſus, quem religioſa decet modeſtia) in defenſionem mei, utar iiſdem S Hieronymi Eccleſiæ Doctoris verbis, quibus in ſimili materia uſus in Epiſtola ad Nepotian: *Neminem ſpeciatim ſermo meus pulſavit. Qui mihi iraſci voluerit, ipſe, quòd talis ſit, confitebitur.*

§ 1.

Statui Spirituali præcipuè Sacerdotali Jure Divino debetur reverentia.

ECcleſiaſtici 7. dicit S. textus. *In tota anima tua time DEUM, & Sacerdotes illius ſanctifica* (id eſt ſanctos habe) *In omni virtute tua dilige eum, qui te fecit, & Miniſtros ejus ne derelinquas. Honora DEum, ex tota anima tua, & honorifica Sacerdotes.* Sancti itaq; habendi, & & honorandi ſunt Sacerdotes ratione Miniſterii. Licèt enim quandoq; peccent, hæc tamen eorum peccata, nihil obſunt Officii dignitati; quemadmodum Imperiali, ac ſupremæ in populum Jurisdictioni, licentioſa vita nihil obeſt. Accipe exemplum ex S. Scriptura. *Levit.* 10. Nadab & Abiud Sacerdotes filii Aaron, graviſſimè peccaverant, quia *arreptis thuribulis, poſuerunt*

ignem & incensum, desuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Egressusq́ue est ignis à Domino & devoravit eos, & mortui sunt coram Domino. In pœnam peccati, quòd ignem alienum obtulerint Domino, flamma absumpsit Sacerdotes, vestibus autem sacerdotalibus pepercit; ut advertit Lyranus, & constat ex sequenti textu: *Vocatis autem Moyses Misaele & Elisaphan ait ad eos: Ite, tollite fratres vestros, de conspectu sanctuarii, & asportate extra castra. Confestimq́ue pergentes, tulerunt eos, sicut jacebant, vestitos lineis tunicis, & ejecerunt foras, ut sibi fuerat imperatum.* Si ignis jussu DEI sanctam habuit in malis sacerdotibus, sacerdotalem dignitatem, quæ in vestibus denotabatur, multò magìs homines, quibus à Deo injunctum est, ut honorificent sacerdotes, sacerdotalem dignitatem revereri debent. Odit DEus sacerdotum scelera, eaq́; gravissimè punit, eorum tamen Characterem honorificari præcipit. Si Principi etiam scelerato & ex infima sorte assumpto debetur honor & reverentia, multò magìs Vicario & Ministro Christi. Scribunt: *Joseph: antiquit: Judai: l. 11. c. 16. Jo: Zonar: to: 1. Annal:* Cum Alexander M. qui se natum Diis credebat, captâ Gazâ, appropinquaret Jerusalem, Jaddus Sacerdos oravit DEum pro gente sua; monitusq́; in somnis, ut in Deo altissimo confideret, & Pontificalibus indutus, obviam Alexandro iret. Fecit id Jaddus Sacerdos; quem cum Alexand: M. vidis-

vidisset Pontificalibus indutum, & laminam desuper caput ejus, in qua erat Nomen Domini Tetragrammaton, descendit de equo, ac sacerdotem profundè veneratus. Ingressus Civitatem sanctam cum sacerdote, & in Salomonis Templo Nomen Domini cæli & terræ adoravit, demum ad castra rediit. Quæsitus à Militibus suis, cur sacerdotem hominem, ipse par Diis, veneratus fuisset, respondit: quia in somno, DEum in tali habitu vidi, qui mihi Principatum Persarum daturum se promisit, DEum in homine adoravi. Utinam hujus ævi Politici discant & præceptô Divinô, & exemplô Domitoris Orbis, reverentiùs habere sacerdotes, & Ministros DEI.

§. 2.

Status Sacerdotalis sua dignitate superat omnes hujus mundi dignitates. 2

NUlla dignitas in orbe terrarum reperitur, quæ dignitatem Sacerdotalem superet vel adæquet. Gelasius Papa sic scripsit Anastasio Imperatori, ut habetur dist. 96. *Duo sunt Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur: auctoritas Sacra Pontificum, & Regalis potestas. In quibus tantò gravius pondus est sacerdotum, quantò etiam pro ipsis Regibus hominum, in Divino sunt reddituri examine rationem. Honor, Fratres, & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit*

inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares; quippe cum videas Regum colla & Principum, submitti genibus Sacerdotum, & osculatâ eorum dexterâ, orationibus eorum credant se communiri. 1. Petr: 2. dicitur, *Regale Sacerdotium*, etiam ex eo, quòd antea, non alii Reges quàm Sacerdotes erant. Sic in Lege Naturæ Melchisedech DEI altissimi Sacerdos, qui panem & vinum DEO obtulit, *Rex Salem* dictus fuit. *Genes.14.* Item Job & tres amici ejus Sacerdotes & Reges fuerant, ut ait Pineda in C. *1. Job. v. 1.* *1. Reg: 8.* Sacer textus testatur, quòd Samuel & Rex Sacerdos fuerit, à cujus temporibus populus excutiens jugum DEI petiit sibi dari Regem, qui eum more aliarum gentium judicaret. Oravit Samuel ad DEum: *Dixit autem Dominus ad Samuelem: audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi; non enim te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos. Ait itaq; Samuel ad populum. Hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis; Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietq; sibi equites & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum. Filias quoq; vestras faciet sibi unguentarias, & focarias & panificas, &c &c.* Et tunc quodammodo separata fuit pontificalis dignitas à Regia potestate. Distinct: 21. C. Cleros dicitur: *Antea autem qui Reges erant, & Sacerdotes erant. Nam majorum hæc*

erat consuetudo, ut Rex esset etiam Sacerdos & Pontifex. Unde & Romani Imperatores, Pontifices dicebantur. Hac de re Nerembergius in Theopolitico p. 2. l. 1. c. 10. sic scribit: *Olim Sacerdotii appendix Regnum erat, nec aliis cura rerum humanarum commissa est, quàm curatoribus divinarum. Idem olim Sacerdos & Rex. Postea excrescentibus imperiis, cùm unus homo duplici huic muneri satìs non potuisset facere, divulsum est a Regno Sacerdotium, quod quia maximum, quia optimum, optimo & maximo tributum;: at cùm inclinaremur ad externa, aliis permiserunt Reges Sacerdotium, ex malitia quadam meliori se abdicantes Majestatis frusto. Noverunt hoc prisci Hispaniæ Reges pientissimi, qui Præsides Sacros suos Dominos vocárunt.* Hucusq; ille. Et jure merito Dignitas Sacerdotalis omnes superat dignitates; illa etenim est prima post DEum inter homines. Sacerdotes, Dii in S. Scriptura appellantur, quòd DEI Personam repræsentent. Illis data est potestas in Persona Christi Sacramenta conficiendi, Christum in altari præsentem sistendi, Nomine DEI peccata hominibus remittendi, juxta illud: *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan: 20. Illi habent Claves Regni cælorum, *sicut DEus, qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit.* Apoc: 3. Nam S. Petro & Successoribus ejus Christus dixit: *Tibi dabo claves Regni cælorum* Matth:6. Illorum voci DEus obtemperat, ac de Cælo descendit,

in eorumq; manibus DEI Filius, velut in utero Virginis incarnatur, ut *S. August. ait hom: 2. in Psalm. 37.* Insuper Christus contumeliam Sacerdoti factam, suam & æterni Patris reputat, ut dicit *Lucæ* 10. *Qui vos spernit, me spernit; qui autem spernit me, spernit eum, qui misit me.* Hinc S. Ignatius M. Episc: 10. ad Smyrnen. dicit: *Sacerdotium est omnium bonorum, quæ in mundo sunt apex, qui adversus illud fuerit, non hominem ignominiâ afficit, sed DEum.* Quæro hìc ex Politicis? Ille, qui Vices Imperatoris vel Regis agit, habetne sibi parem in eodem Regno, dignitate, vel superiorem se, præter Imperatorem & Regem? Eidem aliquam inferre contumeliam vel irreverentiam, eritne crimen læsæ Imperatoriæ vel Regiæ Majestatis? si ita est, infero: ergo cum Sacerdotes vices DEI & Christi agant, remittendo peccata, conficiendo Corpus & Sanguinem Christi, neminem sibi inter homines parem vel se superiorem habent. Cui enim Laicorum etiam supremæ dignitatis à DEO hæc commissa potestas, ut hac in parte vices DEI agat. Item infero, læsisse Sacerdotalem dignitatem, erit crimen læsæ Divinæ Majestatis. De hac Sacerdotum præeminentia in Regno nostro, Przyłuscius noster, licèt hæreticus sic loquitur: *Sacerdotes omnium Ministri ac salutis procuratores sunt; quam ob causam pii Principes illorum Ordinem Primarium in Repub: esse voluerunt.* Agnovit hanc in Christi Ministris Excellen-

cellentiam recens ad fidem S. converſus Conſtantinus M. Imperator, & veneratus eſt, utq; eidem ſacerdotali dignitati majus inter homines faceret pretium, & æſtimationem, ſingularibûs eam adornavit Privilegiîs, auxit opibûs, cumulavit favoribûs.

§. 3.

Conſtantinus M. Imperator, quanti appretiaverit Sacerdotalem dignitatem? adducitur.

QUanti appretiaverit Sacerdotalem Dignitatem Conſtantinus M. Imperator, & quantîs eam auxerit Privilegiîs, conſtat ex C. Conſtantinus diſtin: 96. cujus tenor talis: Conſtantinus Imperator, 4ta die ſui baptiſmi, Privilegium Romanæ Eccleſiæ Pontifici contulit, ut in toto Orbe Romano Sacerdotes ita hunc habeant, ſicut Judices Regem. In eo privilegio, ita inter cætera legitur. Utile judicavimus, unà cum Satrapis Noſtris, & univerſo Senatu, Optimatibusq; meis, etiam & cuncto populo Romanæ gloriæ Imperio ſubjacenti, ut ſicut B Petrus, in terris Vicarius Filii DEI eſſe videtur conſtitutus, ita & Pontifices, qui ipſius Principis Apoſtolorum gerunt Vices principatûs poteſtatem, amplius, quàm terrena Imperialis noſtræ ſerenitatis manſuetudo habere videtur, conceſſam à nobis noſtroq; Imperio obtineant, eligentes nobis ipſum Principem Apoſtolorum, vel ejus Vicarios firmos apud DEUM eſſe Pa-

„ tronos. Et sicut nostram terrenam Imperialem po-
„ tentiam, sic ejus sacrosanctam Romanam Ecclesiam
„ decrevimus veneranter honorari, & amplius, quàm
„ nostrum Imperium, & terrenum thronum sedem
„ sacratissimam B. Petri gloriosè exaltari, tribuentes
„ ei potestatem & gloriæ dignitatem atq; vigorem &
„ honorificentiam Imperialem. Atq; decernentes san-
„ cimus, ut Principatum teneat tam super quatuor
„ præcipuas sedes, Alexandrinam, Antiochenam,
„ Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quam
„ etiam super omnes in universo Orbe terrarum Eccle-
„ sias DEI, & Pontifex, qui pro tempore ipsius sa-
„ crosanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior & Prin-
„ ceps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, &
„ ejus Judicio, quæq; ad cultum DEI vel fidei Chri-
„ stianorum stabilitatem procuranda fuerint, dispo-
„ nantur. *Et infra.* Ecclesiis BB. Apostolorum Petri
„ & Pauli pro continuatione luminariorum, possessio-
„ num prædia contulimus, & rebus diversis eas dita-
„ vimus, & per nostram Imperialem jussionem sacram
„ tam in Oriente, quàm in occidente, vel etiam se-
„ ptemtrionali, & meridiana plaga, videlicet in Judæa,
„ Græcia, Asia, Thracia, Africa, & Italia, vel diversis
„ Insulis, nostra largitate ei concessimus, ea prorsus ra-
„ tione, ut per manus Beatissimi Patris nostri Sylve-
„ stri summi Pontificis, successorumq; ejus omnia di-

sponan-

ſponantur. *Et infra.* B. Sylveſtro Patri noſtro ſummo ,,
Pontifici & univerſalis Urbis Romæ Papæ, & omni- ,,
bus ejus ſucceſſoribus Pontificibus, qui uſq; in finem ,,
mundi in Sede B. Petri erunt ſeſſuri, de præſenti ,,
contradimus Palatium Imperii noſtri Lateranenſe, ,,
deinde diadema, videlicet coronam capitis noſtri, ,,
ſimulq; phrygium, nec non & ſuper humerale, vide- ,,
licet lorum, quod Imperiale circumdare aſſolet col- ,,
lum, verùm etiam & Chlamydem purpuream, atq; ,,
tunicam coccineam, & omnia Imperialia indumen- ,,
ta, ſed & dignitatem Imperialium præſidentium, ,,
equitum conferentes, etiam & Imperialia ſceptra, ,,
ſimulq; cuncta ſigna, atq; banda & diverſa ornamen- ,,
ta Imperialia, & omnem proceſſionem Imperialis ,,
culminis, & gloriam poteſtatis noſtræ. Viris au- ,,
tem reverendiſſimis Clericis, in diverſis ordinibus ,,
eidem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſervientibus, ,,
illud culmen, ſingularitate, potentiâ, & præcellentiâ ,,
habere ſancimus, cujus ampliſſimus noſter Senatus ,,
videtur gloriâ adornari, id eſt Patricios atq; Con- ,,
ſules effici, necnon cæteris dignitatibus Imperiali- ,,
bus eos promulgamus decorari. Et ſicut Imperialis ,,
militia ornatur, ita & Clerum S. R. Eccleſiæ ornari ,,
decernimus. Et quemadmodum Imperialis poten- ,,
tia officiis diverſis & cubiculariorum, nempe, & ,,
Oſtiariorum, atq; omnium excubitorum ornatur, ,,

„ ita & S R. Eccleſiam decorari volumus. Et ut am-
„ pliſſimè Pontificale decus præfulgeat, decernimus &
„ hoc, Clericorum S. R. Eccleſiæ, manipulîs & lintea-
„ minibûs, id eſt candidiſſimo colore decorari equos,
„ ita & equitare. Et ſicut noſter Senatus, calceamen-
„ tis utitur cum udonibus, id eſt candido linteamine
„ illuſtratis, ſic utantur & Clerici, ut ſicut cæleſtia,
„ ita & terrena ad laudem DEI decorentur. Præ
„ omnibus autem licentiam tribuimus ipſi ſanctiſſimo
Patri noſtro Sylveſtro & ſucceſſoribus ejus ex noſtro
„ indicto, ut quem placatus propriô conſiliô clericare
„ voluerit, & in Religioſorum numero Clericorum
„ connumerare, nullus ex omnibus præſumat ſuperbè
„ agere. Decrevimus itaq; & hoc, ut ipſe, et ſucceſ-
„ ſores ejus, diademate, videlicet Coronâ, quam
„ ex capite noſtro illi conceſſimus, ex auro puriſ-
„ ſimo & gemmis pretioſis uti debeant, & in ca-
„ pite ad laudem DEI pro honore B. Petri geſtare.
„ Ipſe verò Beatiſſimus Papa, quia ſuper Coronam
„ Clericatûs, quam gerit ad gloriam B. Petri, omnino
„ ipſâ ex auro non eſt paſſus uti Coronâ, nos phry-
„ gium, candido nitore ſplendidum, Reſurrectionem
„ Dominicam deſignans, ejus ſacratiſſimo vertici ma-
„ nibûs noſtrîs impoſuimus, & tenentes frænum equi
„ ipſius pro reverentia B. Petri, ſtratoris officium illi
„ expoſuimus, ſtatuentes eodem phrygio omnes ejus

ſucceſ-

ſucceſſores ſingulariter uti in proceſſionibus ad imitationem Imperii noſtri. Unde ut Pontificalis apex non vileſcat, ſed magìs quàm terreni Imperii dignitas, gloria & potentia decoretur, ecce tam Palatium noſtrum, ut prædictum eſt, quàm Romanam Urbem, & omnes Italiæ, ſ. u Occidentalium Regionum provincias, loca, & Civitates præfato Beatiſſimo Pontifici noſtro Sylveſtro Univerſali Papæ contradimus atq; relinquimus, & ab eo, & à Succeſſoribus ejus per hanc divalem noſtram, & pragmaticum conſtitutum decernimus diſponenda, atq; juri S. R Eccleſiæ concedimus permanſura. Unde congruum perſpeximus noſtrum Imperium & Regni poteſtatem in Orientalibus transferri Regionibus, & in Bizantiæ Provinciæ optimo loco, Nomini noſtro Civitatem ædificari, & noſtrum illic conſtitui Imperium, quoniam ubi Principatus Sacerdotum & Chriſtianæ Religionis caput, ab Imperatore cæleſti, conſtitutum eſt, juſtum non eſt, ut illic Imperator terrenus habeat poteſtatem. Hæc verò omnia, quæ per hanc noſtram Imperialem Sacram, & per alia divalia decreta ſtatuimus, atq; confirmavimus, uſq; in finem Mundi illibata, & inconcuſſa permanere decernimus. Unde coram DEO vivo, qui nos regnare præcipit, & coram terribili ejus judicio obteſtamur per hoc noſtrum imperiale conſtitutum,

„ omnes noſtros ſucceſſores Imperatores, & cunctos
„ Optimates, Satrapas etiam, ampliſſimum Senatum
„ & univerſum populum in toto Orbe terrarum, nunc
„ & in poſterum, cunctis retro temporibus Imperio no-
„ ſtro ſubjacentem, nulli eorum quomodolibet licere,
„ aut infringere, aut in quoquam convellere. Si-
„ quis autem, quod non credimus, in hoc temerator
„ aut contemptor extiterit, æternis condemnationi-
„ bus ſubjaceat innodatus, & Sanctos DEI, Principes
„ Apoſtolorum Petrum & Paulum ſibi in præſenti &
„ in futura vita ſentiat contrarios, atq; in inferno in-
„ feriori concrematus cum diabolo & omnibus deficiat
„ impiis. Hujus verò Imperialis decreti noſtri pa-
„ ginam propriis manibûs roborantes, ſuper veneran-
„ dum Corpus B. Petri Principis Apoſtolorum poſui-
„ mus. Datum Romæ III Kal: Aprilis. Domino no-
„ ſtro Flavio Conſtantino Auguſto quater, & Galli-
„ cano v. c. Coſſ.

Quid ad hæc dicent Politici, qui Primatui & Juriſdictioni ſummi Pontificis detrahunt. Ruminent attentiùs hoc decretum, velim, ac in Neophito Imperatore tantam mirentur pietatem. Ille Pontificium, Principatum ampliùs, quàm ſuam Imperialẽ potentiam veneranter honorari, & plusquàm Imperium ſuum exaltari decrevit; hi verò ſummum Pontificem ſupra Reges nihil habere promulgant? Ille ſummum Pontificem

ficem non ſolùm, quæ ad cultum DEI, ſed etiam; quæ ad fidei Chriſtianæ ſtabilitatem pertinent, eſſe Judicem recognovit; hi eundem, quæ ad Religionem in ſtatu politico ſpectant jurisdictionem nullam habere aſſerunt. Accuratiùs ſuum, quo loquantur, examinent ſpiritum, eumq; cum Catholico Piiſſimi Imperatoris, conferant zelo.

§. 4.

Status Spiritualis plurimùm proficuus eſt Rebus publicis, & privatis.

SAcerdotes, ſunt Mediatores inter DEUM & homines, qui pro peccatis univerſi humani generis Divinam Majeſtatem deprecantur. Ad id officii à DEO electi ſunt. Teſtatur id Sanctus Paulus *ad Hebræ. 5. Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad DEum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Alii ex hominibus aſſumuntur à Deo, ut regant populum in iis, quæ ad ſtatum politicum ſpectant, ſacerdotes verò à DEO aſſumuntur ad id, ut pro delictis populi placationis hoſtiam DEO offerant, ut DEum populo ſacrificiis propitium reddant. Idem aſſerit *S. Thomas Doctor Ang. in 4. diſt. 14. & 25. Sacerdotes orant pro nobis, ut DEus noſtri miſereatur, & nobiſcum pacificetur.* De Sacerdotibus Propheta Jóël dicit *cap. 2. Inter veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes Miniſtri Domini & dicent: Parce Domine parce populo*

4

tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium ut dominentur eis Nationes. Hìc, velim, advertant Politici, quæ ſit obligatio ſacerdotalis functionis, & quid ex vi officii ſui, in bonum humani generis præſtare teneantur. Temporibus Iſaiæ Prophetæ fortè exiguus ſacerdotum fuerat numerus, proinde gemebundus lamentatur ac dicit ad DEUM: *cap.* 64. *Non eſt qui invocet nomen tuum, qui conſurgat & teneat te; abſcondiſti faciem tuam à nobis.* Quia non erant ſacerdotes, qui pro populo DEI deprecarentur DEUM, ideo DEus ſuam ab eo avertit faciem. Non habet Populus propitium ſibi DEum, ſi pro ſe non habeat ad DEum exoratores, ad quorum preces DEus placatus redditur. 2. *Machab.* 3. Cùm Heliodorus cum ſuis ſatellitibus expilaret Jeroſolymitanum Templum: *apparuit quidam Equus, terribilem habens ſeſſorem, isq; cum impetu Heliodoro priores calces eliſit, -- Alii etiam apparuerunt duo Juvenes ſpecioſi amictu, qui circumſteterunt eum, & ex utraq; parte flagellabant eum ſinè intermiſſione multîs plagîs verberantes. Tunc verò ex amicis Heliodori quidam rogabant Oniam, ut invocaret altiſſimum, ut vitam donaret ei, qui in ſupremo ſpiritu erat conſtitutus.* Summus Sacerdos Onias, *obtulit pro ſalute viri hoſtiam ſalutarem, Cùmq; ſummus Sacerdos exoraret, iidem Juvenes eiſdem veſtibus amicti aſtantes Heliodoro dixerunt: Oniæ Sacerdoti gratias age; nam propter eum Dominus tibi vitam donavit.* Idem Levit: C. 4. habetur:

Et ro-

Et rogante pro eis Sacerdote propitius eis erit DEus. Et c. 26. *Rogabitq́ pro eo Sacerdos, & pro peccato ejus, & dimittetur ei.* Hæc eſt ipſius DEI veracis in dicendo, appromiſſio, quæ neminem fallere poteſt. Tantùm itaq; valet deprecatio Sacerdotis pro peccatore coram DEO. Imò eædem preces obſiſtunt DEO, quominus vindictam ſumat pro peccatis hominum. *Exod.* 32. Cùm decreviſſet DEus delere populum ſuum propter Idololatriam, ait ad Moyſen: *Cerno, quòd populus iſte, duræ cervicis ſit; dimitte me, ut iraſcatur furor meus contra eos, faciamq́ te in gentem magnam. Moyſes autē orabat Dominum DEum ſuum dicens: Cur Domine iraſcitur furor tuus? contra populum tuum, quem eduxiſti de terra Ægypti -- Recordare Abraham & Iſaac & Iſrael ſervorum tuorum, -- Placatusq́ eſt Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adverſus populum ſuum.* Jeremiæ quoq; c. 7. dicit DEus ad Prophetam: *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem & orationem, & non obſiſtat mihi, quominus vindictam ſumam.*

Sacerdotes ſunt utiles populo DEI; Officii enim eorum eſt, adminiſtrare Sacramenta, juvare moribundos, ſolari infirmos, opem ferre afflictis, inſtruere in iis, quæ ſpectant ad ſalutem æternam obtinendam; dirigere in via ſpirituali, & quemq; hominem ad ſuum finem, ad quem à DEO creatus eſt, nempe ut in hac vita DEum amet, revereatur, ei ſerviat, 5

tandem salvus fiat, manuducere: Soli spirituales sunt gnari viæ illius, quæ ducit ad vitam æternam, à qua quisq; facilè deflectet & errabit, si Doctorem non habuerit. Diversis à politicismo principiis & veritatibus instruendus est, qui viam beatitudinis æternæ vult ingredi. Hinc meritò *Sapient.* 5. Mundi hujus sectatores suam incusant insaniam & errorem. *Ergo erravimus à via veritatis.* Causa vero hujus erroris est, quia deerant tales, qui illos ignorantes, vias Domini docerent, ut ipsimet fatentur: *Justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra, &c.* Quid autem prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur! Sunt item Sacerdotes Medici spirituales curantes morbos & languores animæ. Medicus, qui curat corpus, potest illud ad tempus sanare, sed à morte in perpetuum præservare non potest. Sacerdos verò animam per peccatum mortale DEO mortuam, resuscitare, & gratiæ Divinæ restituere, ac ne æternùm moriatur, efficere potest. Item Sacerdotes offensum nobis reconciliant DEum. Videant itaq; Politici, quanta sit Populo Sacerdotum necessitas; &, si suo privato minimè volunt, saltem publico prospiciant Bono. §. 5.

§. 5.

Sacerdotum ſacrificia & Orationes plus proſunt Bono publico, & conſervationi Regnorum, quàm numeroſus exercitus.

SI dixero, hanc veritatem eſſe, proximam fidei. nullus puto inficiari poterit. Omnis proſperitas rerum ſive publicarum, ſive privatarum à DEO eſt. Geneſ: 39 de Joſepho S. textus dicit: *Erat vir in cunctis proſpere agens.* datq; rationem, *quia Dominus fuit cum eo.* Pace & victoriâ Regna & bonum publicum conſervari, indubitatum eſt. Utraq; autem à DEO eſt. 1. *Paralip.* 22. teſtatur David Sermonem DEI ad ſe factum eſſe de filio ſuo Salomone in hæc verba: *faciam eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum, & ob hanc cauſam Pacificus vocabitur, & pacem, & otium dabo in Iſrael cunctis diebus ejus.* 1. *Reg.* 17. David contra Philiſtæum Goliath pugnaturus, non aliîs ſe munivit armîs, nisì ſpe in DEum, dixitq; ad Philiſtæum: *Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo, ego autem venio ad te in Nomine Domini exercituum, DEI agminum Iſrael, -- & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, ut noverit univerſa Eccleſia hæc, quia non in gladio, nec in haſta, ſalvat Dominus; ipſius enim eſt bellum, & tradet vos in manus noſtras* Pax itaq; & victoria à DEO habentur. Quis autem hæc à DEO impetrabit, ſi non Sacerdotes per ſua ſacrificia & Orationes? Mili-

tum eſt, cum hoſte pro Patria decertare, Sacerdotum eſt, auxilium illis à DEO implorare, ſinè quo nihil gloriosî præſtare poterunt. Quamobrem eo fine Conſtantinus M. in bello Perſico, tabernaculum in Caſtris adinſtar templi figi juſſit, in quo ſacra peragebantur, & cuivis Legioni tanquam mobile templum erat, in quo Sacerdotes ſacrificia DEO, implorantes Militi robur, offerebant. Hinc ortæ ſunt Miſſæ Caſtrenſes. Duos Theodoſios Imperatores, ardentiſſimîs Sacerdotum orationibûs, plures victorias comparaſſe, quàm armatîs copîs, teſtantur Hiſtorici. Et certè ſi DEus pro nobis, quis contra nos. Non numeroſus exercitus, ſed dextera DEI parit victoriam. Gedeon trecentîs tantùm virîs ſtipatus, innumerabiles hoſtium delevit copias. Quid Joſuen, Moyſis ſucceſſorem, quid Jephten & alios viros commemorem? Conſtantinus M. non tam numero Militum, & robore exercitûs, quàm Chriſti præſidio, & in ſigno Crucis vicit Maxentium. 2. Paralip: 16. *Venit Hanani Propheta ad Aza Regem Juda, & dixit ei: quia habuiſti fiduciam in Rege Syriæ, & non in Domino DEO tuo, idcirco evaſit Syriæ Regis exercitus de manu tua. Nonne Æthyopes & Lybies multo plures erant quadrigis & equitibus, & multitudine nimia, quos, cùm Domino credidiſſes, tradidit in manu tua. Oculi enim Domini contemplantur univerſam terram, & præbent fortitudinem his, qui in corde perfecto credunt*

dant in eum. Stultè igitur egisti, & propter hoc etiam ex præsenti tempore adversum te bella consurgent. Genes. 14. Cùm audisset Abram captum esse Loth fratrem suum ab hostibus, numeravit expeditos vernaculos trecentos decem & octo, & persecutus est eos. Adorsus est numerosum & fortissimum exercitum non exercitato milite vicit 4. Reges & prædam recepit. Vis nosse hujus victoriæ auctorem. DEus ipse fuit. *Melchisedech enim Rex Salem, proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos DEI altissimi) benedixit & ait: Benedictus Abram DEO excelso, & benedictus DEus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* Numer: 6. DEUS sic voluit benedici populum à Sacerdotibus: *Locutusq; est Dominus ad Moysen dicens: Loquere Aaron & filiis ejus: sic benedicetis filiis Israel & dicetis eis. Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem. Invocabuntq; nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.* Hæc est DEI promissio! Exodi 17. *Venit Amalech et pugnabat contra filios Israël in Raphidim -- Moyses autem & Aaron & Hur ascenderunt super verticem collis. Cumq; levaret Moyses manus, vincebat Israel; sin autem paululum remisisset, superabat Amalech.* Quamdiu Moyses elevabat manus ad cælum supplicando DEO pro victoria Israelitarum, tamdiu Israelitæ superabant hostem; si

 verò

verò levare manus destitit, superabat hostis. Ut itaq; plena esset victoria penes Israelitas, Aaron & Hur sustentabant manus Moysis ex utraq; parte, fugavitq; Josue Amalech & populum ejus *in ore gladii.* Eam quoq; ob causam *Ezech.* 22. DEus de populi sui iniquitate vindictam sumere coactus, quærebatur, quod nullus sacerdotum se objecisset pro avertenda ejus irâ: *Et quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni. Et effudi super eos indignationem meam, & in igne iræ meæ consumpsi eos* Hoc est, si vel unicus sacerdos repertus esset, qui DEum deprecatus fuisset, ut iram suam averteret, misertus fuisset DEUS populi sui. Exercitus etiam numerosissimus, si fuerit flagitiosus, DEum non ad ferendum sibi auxilium, sed ad scelerum suorum vindictam provocabit; proinde necesse est, ut sacerdotes suis sacrificiis DEum reddant ei propitium. Placet hujus ævi Politicis, numerosissimos habere Patriæ Defensores, ac Boni publici Conservatores, placeat quoq; quàm plurimos recensere Exoratores ad DEum, à quo dependet Regnorum Defensio & Conservatio, quo propitio, regna prosperantur, offenso, corruunt, ac de gente in gentem transferuntur. Zelant pro conservando Milite, cujus fortitudine & robore, conservatur Regnum, & bene est; Utinam sic zelent pro conservandis spiritualibus, quorum

ſacrificiîs & orationibûs conſervatur Militum robur & fortitudo.

§. 6.

Proſperi ſunt ſucceſſus illorum Regnorum, in quibus DEI cultus, Eccleſiarum decor, ac ſtatûs ſpiritualîs obſervatio viget.

EXperientiâ didicimus, Principes & Reges, quò 7
liberaliores in DEum & reverentiores Statûs ſpiritualîs fuerunt, (ſeu ueriùs, Chriſtum in Perſonis ſpiritualibus venerati ſunt) eò terribiliores ſuis hoſtibus extitiſſe, ac DEum eorum Regna ampliaſſe, opibûs locupletaſſe, ipſoſq; Principes evexiſſe. Peregrina non adduco exempla, cum domeſtica habeam. De Piaſto Principe Regni noſtri Poloniæ ſic ſcribit Stanislaus Łubinſki, Epiſcopus Płocenſis in Reſpon: ad proteſt. fol. 302. *Ad annum uſq; 965. nullus erat (in Polonia) qui publico Nomine Religionem Chriſtianam palam profiteretur, non quòd ea res Principum edictis vetaretur, ſed quod nullus eſſet, qui Statum Religionis ad normam Eccleſiæ Catholicæ formaret, Regibus ipſis, nondum Sacramentîs cæleſtibûs, imbutis. Quanquam quis vetat ſuſpicari Piaſtum agri Cruſvicienſis Colonum, ob piam liberalitatem ex humili genere ad ſummum Principatûs faſtigium evectum, aliquid ex veritatis lumine hauſiſſe? Abavus is fuit Miecislai, qui à Chriſtianis ſubditis ſuis (qui jam tum frequentes etiam ex Primoribus fidem Chriſtianam colebant) ut damnato cultu*

falſo-

falsorum Deorum , Christianus & ipse fieret, ac uxorem Christianam Dabrowkam Boleslai Bohemiæ Regis sive Ducis filiam duceret persuasus, primus se Christianum Principem esse palam professus est. De Piasto quidem memorant scriptores, illum, dum hospitalitatem coleret, sanctos Joannem & Paulum Romanos Martyres, sub Juliano Apostota olim Martyrio coronatos, hospitiô excepisse, & penu ejus illorum beneficiô ita auctum fuisse, ut pauper rusticus eo interregno, quod mortem Popieli Tyranni & Parricidæ Principis consecutum est, universum Procerum Polonorum, qui ad eligendum novum Principem convenerunt cætum, conviviô exceperit, & ob eam causam suadentibus iisdem sanctis, Rex renuntiatus fuerit. Quis enim non meritò in eam veniat suspicionem, sanctos illos, vitâ jam functos, sive etiam ij Angeli fuerint, ut aliqui existimant, nonnisi viro vera pietate imbuto, apparere, eumq; pietate cælesti imbuere voluisse? Sic DEus hujus Piasti liberalitatem in servos suos & pietatem, sublimi principatu compensavit. De Boleslao Chabri Principe Regni nostri scribunt Długossius & Cromerus: quòd zelosissimus fuerit in promovenda S. Fide Catholica, & extirpanda Idololatria. Plurimas fundavit & dotavit Ecclesias, Episcopatus, Monasteria & pia loca Nulla autem in re erat severior, quàm in contemptu Religionis, Templorum profanatione, & sacerdotum injuriis atq; contumeliis vindicandis. Omnes Ecclesias & Bona illarum ab oneribus publi-

publicis, & bellicis libera fecit, & perpetua libertate in ævum donavit. Sacerdotes summè venerabatur, & ab omnibus coli volebat, nec sedebat stante sacerdote, nisi & ille assedisset. Tanta fuerat hujus Principis in Ecclesias, & statum spiritualem pietas, ac reverentia! quam illi DEUS abundantissimè retribuit. Nam in multis cum hoste præliis semper evasit victor, ac Regni ejus limites DEus dilatavit. In oriente ad fluvium Boristenem erexit columnas ferreas in limites. In Occidente ad fluvium Salam in Saxonia: in Septemtrione ad fluvium Ossa dictum victrici Manu sua posuit Regni sui terminos. Vicit opulentissimos & fortitudine præstantes Russos, cum quibus in dimicando Constantinopolitanis Imperatoribus non leve negotium fuit. Subjugavit suo Principatui Prussiam, domuit Germanos, & Saxones, adjunxit Bohemiam, Moraviam, Cassubiam, Pomeraniam. Plures ejus victorias numerabis, quàm legeris. Sic Principis hujus Nomen Deus Orbi celebre fecit, ac primi Regis caput Regio diademate per Otthonem III. Imperatorem coronavit. Plura exempla non recenseo, satis sit innuisse: tamdiu in Regno Nostro prosperrimos fuisse progressus, quamdiu pietas in DEum, cultûs Divinî zelus, Sacrarum ædium decor, ac Immunitatis Ecclesiasticæ conservatio, cordi Polonorum erant: ast ubi horum neglectus fieri cæpit, cuncta in pejus sensim com-

mutata,

mutata, ac omne calamitatum genus invasit Poloniam. Ut testatur Polona Historia.

8 Ad præfatam veritatem comprobandam adduco Epistolam Alexandri Papæ VI. quam Philippo Archi-Duci Austriæ, Burgundiæ & Brabantiæ Duci, cum in Brabantia jura Ecclesiastica impugnarentur, scripsit.

Dilecte Fili. Salutem &c.

„ Auctoritatem S. Sedis Apostolicæ in tuis Do-
„ miniis & præsertim in Ducatu Brabantiæ, contemni,
„ libertatem Ecclesiasticam tolli, multorum fide di-
„ gnorum testimoniô intelligentes, mirati sumus, pa-
„ riter & doluimus. Nec sanè id Nobilitati tuæ ad-
„ scribimus, qui per ætatem fortasse perspicere non
„ potes, quantùm ista conscientiæ, honoriq; tuo ob-
„ sint, cùm tamen in tenera ætate, optima indole,
„ & ingenio, ut audivimus præditus sis, Præceptoris
„ vicem apud te sustinere posse facilè credimus Qua
„ de re te hortamur in Domino, utquo magìs Rex
„ Regum DEus, tuum Principatum stabiliat, inter
„ cætera tuæ institutionis præcepta, id primum esse
„ non negligas, quòd DEum colas, DEum timeas, &
„ illum in suis Ministris venereris. Ecclesiastica Jura,
„ nullo unquam tempore violari permittas. Aposto-
„ licæ quoq; sedis auctoritatem, & Christi Vicarii Ju-
„ risdictionem à tuis subditis dilaniari, non sinas, &
„ si quid in his sub tuæ Nobilitatis umbra temere com-

missum

miſſum fuit, id mox emendari, ac in irritum revo- „
cari facias, ne ad culpam tibi imputetur, quod te „
permittente in deteſtabilem traheretur abuſum. „
Nam qui ſecus egerit, non facilè reperies quem- „
quam ex his proſperè regnaſſe; ſunt tam ſacri quàm „
gentilium codices pleni exemplis. Intellige ex tuis „
Aulicis, quàm felicibûs tui Progenitores donec hæc „
obſervaverint, claruêre ſucceſſibûs Tu igitur diſce „
Juvenis ſic Principatum tenere, ut Chriſto Principi „
Regum terræ, qui te fecit Principem, quod opta- „
mus, placeas; ne tandem cadas, ſicut unus ex Prin- „
cipibus, priusquam conſeneſcas. Datum Romæ, „
&c. die 22. Octobris, 1492. Pontificatûs Noſtri Anno 1.

§. 7.

Plurimum & ſibi & Regnis nocent, qui Eccleſiis vel Bonis illarum aliquam inferunt injuriam.

QUantùm ſint DEO & hominibus execrabiles illi, 9
qui Templa expilare, Bona Eccleſiaſtica invadere, eaq; ſpoliare præſumunt, plenæ ſunt exemplis tam ſacræ, quàm profanæ Eccleſ: Hiſtoriæ. *Daniel.* 1. & 4. Nabuchodonozor Rex Aſſyriorum, poſtquam DEI templum fuiſſet deprædatus, in beſtiam mutatus eſt. *Ibid. c.* 5. Balthaſar filius ejusdem quòd in profanos uſus ſacra vaſa convertiſſet, hoſtium manibûs peremptus, & Regnum ejus alienis traditum. 2. *Machab.* 9. Antiochus Rex ob eandem cauſam à vermibus con-

sumptus. *Ibid. c.* 3. Heliodorus expilator templi graviter flagellatus. Plura suppeditant scriptores Christiani, apud quos legitur, Julianus Juliani Apostatæ & Imperatoris Avunculus, cùm ex Antiocheno templo sacra vasa abstulisset, repente sævo morbo correptus, & miserrimo fædoq; mortis genere extinctus esse; Cujus etiam Quæstor, & in spoliando Templo adjutor Felix, rupta repentè vena, animam cum sanguine evomens, celeriter est extinctus & consumptus. Isacius Italiæ Exarchus, quòd Lateranensis Basilicæ sacrarium eousq; intactum spoliasset, repentè vitâ privatus est. Mauritius verò Chartularius, qui Isacium ad sacrilegium induxerat, cum maxima ignominia est peremptus, DEO utriusq; Sacrilegium, miserabili morte vindicante. Trithemius tradit, nonnullis à DEO revelatum esse, Dagobertum Galliæ Regem, quòd Ecclesias expilasset, ad Tribunal DEI citatum fuisse; Carolum verò Martellum celeberrimum Ducem Pipini Patrem, & Caroli M. Imperatoris Avum, suppliciis æternis esse destinatum, quòd templorum Thesauros usurpasset, & in Militum stipendia convertisset. S. Injuriosus Clotario Regi Francorum, dum tertiam partem proventuum Ecclesiasticorum thesauro suo applicare vellet, dixit: *Si volueris res DEI tollere, Deus tibi Regnum velociter auferet, quia iniquum est, ut pauperum stipe, quos tuò debes alere horreô impleantur*: ut scribit S.

Gre-

Gregorius Turon. l. 4. c. 2. Si Ecclesiastici 10. dicitur: *Regnum à gente in gentem transferetur propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos*; multò magìs transferetur propter injurias ipsi Christo, & ejus Patrimonio illatas. Quidquid enim Ecclesiis à Fidelibus datum est, id DEO & Christo consecratum est. DEO facit injuriam, qui Ecclesiam spoliat, Deusq́, sibi illatæ injuriæ vindex est. *Josue* 6. Dixit Josue ad populum DEI: *Quidquid auri aut argenti fuerit* (in expugnata Jericho) *& Vasorum æneorum, ac ferri, Domino consecretur repositum in thesauris ejus. Filii autem Israel prævaricati sunt mandatum, & usurpaverunt de Anathemate; Nam Achan Filius Charmi tulit aliquid de anathemate, iratusq́ est Dominus contra Filios Isräël.* Cùm enim ascendissent ad expugnandam Civitatem Hai, *statim terga vertentes percussi sunt à viris urbis Hai, & corruerunt ex eis triginta & sex homines, persecutiq́ sunt eos adversarii de portâ usq́ ad Sabarim, & ceciderunt per prona fugientes, pertimuitq́ cor populi. Josue verò scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram Arca Domini nesciens causam, cur DEus iratus esset. Dixitq́ Dominus ad Josue: surge, cur jaces pronus in terra? Peccavit Isräël & prævaricatus est pactum meum, tuleruntq́ de anathemate, & furati sunt atq́ mentiti, & absconderunt inter Vasa sua, Nec poterit Isräël stare ante hostes suos, eosq́ fugiet, quia pollutus est anathemate, non ero ultra vobiscum donec*

 conte-

conteratis eum, qui hujus ſceleris reus eſt. Sic propter unius hominis commiſſum ſacrilegium, nempe propter pallium coccineum, ducentos ſiclos argenti, & regulam auream quinquaginta Siclorum, quæ DEO dedicata fuerant, furto ſublata, DEus totum punivit populum, Ita evenit, ut propter rapinas & ſacrilegia Militum, DEus Regnis ſubtrahat victoriam. Referunt noſtræ Polonæ Hiſtoriæ Caſimirum Regem Poloniæ, à Crucigeris prælio victum eſſe, ob eam cauſam (ut revelatum à DEO fuerat Sędzivoio Canonico Gneſnenſi) quòd exercitus ejus Eccleſiis & bonis illarum, multa intuliſſet damna. Obſervatum quoq; eſt ſæpe, Violatoribus Bonorum Eccleſiaſticorum, nihil proſperè & ex voto ſuccedere, imò non ſolum Eccleſiaſticas facultates, quas per rapinam occupârunt, ſed etiam proprias, cum quibus permiſcuerunt, è manibus eorũ dilabi,ac penitus interire. Expertus eſt Henricus VIII. Rex Angliæ, cum ſuo magno Regniq; ſui damno, qui Apoſtata à Fide Catholica factus, cùm in Monaſteriorum ac Templorum omnium facultates ſacrilegè involaſſet, & ex illis ingentem theſaurum collegiſſet, non ſolum theſaurum illum evanuiſſe, ſed totum etiam ærarium ſuum evacuatum eſſe, advertit. Quamvìs enim tunc nullum haberet hoſtem, contra quem miles fovendus eſſet, tamen ad eam redactus eſt egeſtatem, ut eam nullis exactionibus, quibus populum ſibi

ſubjectum opprimebat, relevare potuerit, quamdiu vixit. Carolo VII Regi Galliæ ad extrema redacto & deſtituto neceſſariis ad continuandum bellum in Normandia cum Anglis, qui Provinciam illam ei eripuerant, à quo Regni pax & tranquillitas pendebat, Normandicæ Eccleſiæ Præfectus ſuaſit, ut in belli ſubſidium, Eccleſiaſticas Decimas & ſacra vectigalia converteret, facturum ſe id negavit Rex, aſſerens, malè ceſſiſſe Principibus nonnullis, qui auſu temerario eam rem tentare præſumpſerant. Leo Pontifex Emmanueli Regi Luſitaniæ conceſſerat, ut tertiæ & decimæ Vectigalium Eccleſiaſticorum in ſumptum bellicum contra infideles in Africa tribuerentur, ſed conceſſionem illam Rex remiſit, dicens: ſibi, ex quo hac Pontificis benignitate fuerat uſus, nihil feliciter ſucceſſiſſe. In Capitulis Caroli M. & Lotharii Auguſtorum hæc habentur: *Novimus multa Regna & Reges eorum propterea cecidiſſe, quia Eccleſias ſpoliaverunt, resq́ earum vaſtaverunt, abſtulerunt, alienaverunt, & diripuerunt; Epiſcopisq́ & Sacerdotibus, atq́, quod majus, Eccleſiis eorum abſtulerunt, & pugnantibus dederunt. Qua propter nec fortes in bello, nec in fide ſtabiles fuerunt, nec victores extiterunt; ſed terga, multi vulnerati & plures interfecti, verterunt, Regnaq́ & Regiones, & quod pejus eſt, Regna cæleſtia perdiderunt.* Hinc Baſilius Imperator à Græcis Porphyrogenita dictus, legem à Nicephoro Phoca latam,

tam, qua vetabat Ecclesias Bonis immobilibus locupletari, prætexens prodigalitatem Episcoporum, quos ajebat in pauperes erogare ea, quæ justiùs donarentur militibus fame & inediâ pressis, improbavit & abrogavit, hanc causam allegans: *Ex quo hæc lex* (scilicet Nicephori) *est observata, nihil boni penitus in hodiernum usq; diem Vitæ nostræ occurrit, sed contra, nullum penitus calamitatum genus defuit.* Ita Garzias à Loysa in annot: *ad Concil. Toletan. 6.* & addit: Nicephori statutum, fuisse causam omnium malorum, quæ tunc Imperium affligebant, & radicem universalis subversionis & confusionis illud perturbantis. Considerate hæc DD. Politici, & advertite, utrum eadem de Regno Nostro nequeant dici? Observatum hoc quoq; ab Historicis, quòd infallibile sit signum futuræ mutationis Regni & Reipub: dum Ordo Politicus impugnat Immunitates Ecclesiasticas. Talia fuerant in Regnis Bohemiæ, Hungariæ, Sueciæ mutationis initia. Constat item ex Historiis, quod Familiæ Spoliatrices Ecclesiarum ac Bonorum illarum, non diu duraverint vel ad extremam devenerint egestatem. Habemus nos quoq; in Regno nostro, tam antiqua, quàm recentia hujus rei exempla domestica, in quo Familias deprædatrices Ecclesiarum & Bonorum earum, ita delevit DEus, ut ampliùs earum non exstet memoria. Utinam his exemplîs percellantur Politici, Ecclesiasticam impugnantes Immunitatem, sibiq; id eventurum metuant. §. 8.

§. 8.

Convulsio Jurium & Privilegiorum Ecclesiasticorum, est dispositio ad exterminandam è Regno S. Fidem Catholicam.

AD probandam hanc veritatem, sufficiat unicum 10
exemplum in Regno Sueciæ. Ante Lutheri Sectam hoc Regnum fuerat Catholicum & Liberum, quemadmodum Regnum nostrum Poloniæ. Ad inseminanda sua Dæmon in Catholico Regno Sueciæ zizania, & expellendam inde fidem Catholicam, tali usus est astu. Regnante Rege Gustavo Woza, Anderson Cancellarius Regni sectâ Lutheranâ infectus, suasit Reipub: Sueticæ adhuc Liberæ, & induxit eam ad condendas statui spirituali præjudiciosas, ac Immunitatis ejusdem sublativas Constitutiones, quæ fuerant tales. Ut Episcopi & Spirituales suîs Bonîs privarentur; Ut Episcopi à Senatu excluderentur. Ne Spirituales in Bona succederent. Ut Decimæ Spiritualium in alendum Militem converterentur. Ut omnes Fundationes à Regibus factæ tollerentur; & Bona immobilia redirent ad Fiscum Regium. Ut Nobilibus liceret Bona à suis Antecessoribus Ecclesiis applicata, repetere, vel onerata, pecuniîs redimere. Ut supellex argentea vel aurea, & Campanæ Templorum in exsolvenda Regni Sueciæ debita, quæ tunc Lubecæ Civitati Anziaticæ debebantur, converterentur. Hæc ubi

 decisa

decisa sunt à Libera Repub. Suetica, & executioni mandata, spirituales exesse è Regno Suetico coacti sunt, cum quibus S. Fides Catholica expulsa, Hæresis Lutherana introducta, & post breviabsolutum Dominium. Trutinent nunc hujus ævi Politici, citatas Constitutiones, & considerent, utrum non sint eædem cum suis pragmaticis. Hac via etiam illi S. Fidem Catholicam è Regno Poloniæ expellere, & oppositas eidem Sectas introducere, num non intendant? videant. Expulsîs enim spiritualibûs, vel diminutô notabiliter eorum numerô, serpentibus in Regno Hæresibus, quis se opponet? quis eas impediet? Hoc autem permisso, quid tandem expectandum? nisi ultimum S. Fidei Catholicæ, & Libertatis è Regno exterminium.

§ 9.

Proprium est Hæreticorum & Atheorum, statum spiritualem persequi & odisse, ac ejus Jura & Privilegia impugnare.

11 PRimum veritatis punctum sic probatur. Nemo negare potest, qui est gnarus Historiarum de Origine Hæresum, quod earum Primipili suos errores ac Sectas ab impugnando statu spirituali, exorsi fuerint. Prima illorum dogmata fuêre, contra S. Sedem Apostolicam, contra Spirituales & eorum Jurisdictionem, contra Ecclesiastica Bona & Possessiones, consequenter

contra

contra Jura, Privilegia, & Immunitatem Ecclesiasticam. Unus & alter Hæresiarcha, huic veritati probandæ sufficiat. Joannes Wicleff, quem Constantiense Concilium declaravit Hæreticum & ejus ossa exhumari ac comburi mandavit, spiritualem impugnavit statum; quem ut fidelibus exosum redderet, multa in eum confinxit contumeliosa & injuriosa, quæ S Sedes Apostolica, pro blasphemis, scandalosis, seditiosis, temerariis ac hæreticis declaravit. Inter propositiones 45. à Concilio damnatas, reperiuntur sequentes. Propositio 4. si Episcopus vel Sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptisat 8. Si Papa sit præscitus & malus, per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles, nisi forte à Cæsare. 9 Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum sub propriis legibus. 10. Contra Scripturam S. est, quod Ecclesiastici habeant possessiones. 16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre Bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus. 18. Decimæ sunt puræ eleemosynæ & Parochiani possunt propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum auferre eas. 20. Conferens eleemosynam Fratribus, est excommunicatus ipso facto. 21. Si quis ingreditur Religionem privatam

qualemcunq; , redditur ineptior, & inhabilior: ad observantiam Mandatorum DEI. 22. Sancti instituentes Religiones privatas, sic instituendo, peccaverunt. 23. Religiosi viventes in Religionibus privatis, non sunt de Religione Christiana. 29. Universitates, studia, Collegia, graduationes & Magisteria in eisdem, sunt vana gentilitate introducta, & tantùm prosunt Ecclesiæ, sicut Diabolus. 30. Excommunicatio Papæ, vel cujuscunq; Prælati, non timenda, quia est Censura Antichristi. 31. Peccant fundantes Claustra, & ingredientes, sunt viri diabolici. 32. Ditare Clerum est contra Regulam Christi. 33. Sylvester Papa & Constantinus M. erraverunt Ecclesiam dotando. 34. Omnes de Ordine Mendicantium sunt hæretici, & dantes eis eleemosynam sunt excommunicati. 35. Ingredientes Religionem sunt inhabiles ad observandum divina præcepta, & per consequens ad perveniendum ad Regnum cælorũ, nisi apostataverint ab eisdem. 36. Papa cum omnibus Clericis suis possessionem habentibus, sunt hæretici, eò quòd possessionem habent, &c. &c. Alter Hæresiarcha Martinus Lutherus, Apostata à Religione & S. Fide, inter errores 41. à Leone X. damnatos, habet has propositiones: Romanus Pontifex Petri Successor, non est Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab ipso Christo in B. Petro institutus. Certum est, in manu Ecclesiæ

clesiæ aut Papæ prorsus non esse, statuere articulos fidei, imò nec leges morum, seu bonorum operum. Prælati Ecclesiastici, & Principes seculares, non malè facerent, si omnes saccos mendicitatis tollerent, &c. Quamobrem præfatus Apostata Principibus secularibus suadebat, ut nullas fundationes spiritualium facerent, factas tollerent, ut Bona spiritualibus auferrent, eosq; è suis ditionibus exesse juberent. Hinc ejus Asseclæ, cùm aliquod Regnum, Provinciam vel Urbem, suâ inficerent Sectâ, à spoliandis Ecclesiis, ab expellendis inde spiritualibus, à Bonis Ecclesiasticis diripiendis inchoabant. Sic in Suecia (ut immediatè dictum) in Livonia & aliis plurimis locis practicatum est. Eadem fuêre sectæ Calvinianæ seu Hugonottorum in Francia initia. Ex his patet, quanta sit in Sacerdotes Christi, in statum spiritualem, & in ipsum summum Caput Ecclesiæ concepta hæreticorum rabies, quorum proprium est statum spiritualem, & Jura ejus impugnare. Perpendant nunc Politici adductas Hæreticorum propositiones, & cum suis statisticis (ut vocant) conferant principiis. Nonne ejusdem sunt sensus & spiritus? revocent in memoriam illud non pridem in vulgus sparsum, scandalosum, & injurium S. Sedi Apostolicæ, rogo dignum scriptum, in quo ex occasione Brevîs S. M. Clementis XI. in Poloniam Anno 1711. die 28. Julii dati, quidam ex illis, canino dente Au-

 ctori-

ctoritatem Pontificiam, & Jurisdictionem proſcindunt; ac pro more ſuo, nullam Vicario Chriſti reverentiam & obedientiam præſtandam, vulgo perſuadere nituntur. *Prætendunt*, ut Jurisdictio ſpiritualium circumſcribatur, ut Bona & reditus eorum, ad minorem redigantur numerum, & ſimilia. Hoc idem ij ſentiunt qui novas Sectas ſecuti, pulſam è Regnis ſuis volunt Religionem Catholicam. Ex his quisq; inferat, tales cujus ſint ſpiritus!

12 Progredior ad ſecundum probandum veritatis punctum. Nomine Athei formalis intelligo eum, qui abſolutè negat exiſtere DEum, vel ſaltem poſitivè deliberatè dubitat, utrum exiſtat DEus. Qui itaq; impiè negant DEUM exiſtere, ad multa erronea, ſcandoloſa & blasphema ſe reſolvunt dogmata; impias & execrandas ex negata exiſtentia DEI inferunt conſequentias, quæ ſunt hujusmodi. Siquidem non datur DEus, nec cultus verus DEO vero ab hominibus exhiberi debet. Ut quid ergo tantîs ſumptibûs, tam magnifica exſtruuntur templa aurea vel argentea ſacra ſupellex in honorem DEI, qui non exiſtit? Quid ſi quis Chimæram adoraret, in honoremq; ejus ampliſſimas ædes exſtrueret? nonne unius dementiæ arguendus eſſet? Avaritia eſt hæc hominum, qui ſe ſpirituales & ſervos DEI faciunt, ut ſeducant homines, & ſub ſpecie cultûs DEI colligant ingentes opes, ſe

locu-

locupletent, & Respublicas depauperent. Hæ sunt blaſphemæ impiorum Atheorum illationes. Juvat Atheos in hac execranda blaſphemia Nicolaus Machiavellus omnis Religionis expers, judiciô Doctorum Atheus, ſic aſſerens: *Religionem extrinſecus colito, ſed nullam habeto. Virtutes habeto in ore, nihili tamen faciendæ, ne Religio quidem.* O quam aſtutè docet Atheiſmum regi! vult ſimulari Religionem, cultum DEI, & nullum haberi. Ad oculum, Catholicum eſſe, & intus Atheum. Hæc eſt Atheo-Politicorum hujus ævi vivendi ratio, ne ſe manifeſtent Atheos. *2dum* eſt, quod aſſerunt Athei Animam hominis non eſſe immortalem. Dicunt illi, quod poſt mortem hominis anima ſtatim intereat, ſicut animæ brutorum intereunt. Verè brutarum mentium ea ratiocinatio! Hæc impia Atheorum doctrina omnia nefanda ſuadet ſcelera; permittit homicidia, adulteria, perjuria, rapinas, oppreſſiones pauperum, ſeditiones in Regnis, Tyrannides; & alia omnia, quæ cogitari poſſunt enormia crimina, præcipuè in potentioribus; idq; ex eo: quia non eſt, quod ab his ſceleribus hominem deterreat. Non pæna æterna! nam ipſe Machiavellus monet: *de æternitate non ſis ſolicitus*, poſt mortē enim, quid timendū, à quo? & cui? ſi nec DEus puniens datur, nec anima poſt mortem vivit. Unica pæna temporalis metuenda à politica Juriſdictione infligenda, cujus evadendæ poten-

tiores

tiores mille habent artes. In his duobus impiis erroribus fundati Athei, nullam esse necessitatem Cultus divini, & status spiritualis judicant. Frustra enim id colitur tantis expensis, quod non est. Status etiam spiritualis ad eundem finem ordinatur, ut DEum sacrificiis, & orationibus colat, ejusq; cultum promoveat. Item functio status spiritualis est, DEum pro peccatis populi placare, salutem animarum procurare, &c. hæc autem functio cui usui? cùm peccata hominibus post mortem nihil noceant, & salus æterna animarum utpote mortalium nulla detur. Habemus itaq; sensum Atheorum, quid de cultu DEI, quid de sacrificiis & Orationibus spiritualium, quid de eorum necessitate sentiant. Nunc ex Politicis quæro. Cùm suadent Nobilitati, ne plures Ecclesiarum, & piorum locorum fiant Fundationes, (nisi fortè id in præjudicium tertii fieret, quod tunc esset justitiæ) ut factæ diminuantur, cujus rei creant suspicionem, quid per hoc intendunt? nonne id, ut cultus DEI non promoveatur, sed potiùs diminuatur? ut pauciores sint Sacerdotes & sacrificia ad placandùm DEum pro populo, ut pauciores sint Ministri DEI procurantes salutem animarum. Quòd in rei veritate est, velle, ut Cultus DEI, & Religio ampliùs non augeatur vel absolutè tollatur, & salus æterna fidelium negligatur. Id velle potestne verus, & zelosus Catholicus.

§. 10. *Sol-*

§. 10.

Solvuntur Objectiones Politicorum contra Statum Spiritualem.

OBjicitur 1. Spirituales ſunt avari. ℟. Quæro ex 13
te Politice, in quo hanc conſtituis avaritiam? Quia, quæ ipſis ex vi fundationum debentur, exigunt, quia contra iniquos Retentores Cenſuum, contra Raptores Decimarum jure agunt? hæccine eſt avaritia? Ergo ego quoq; te Politice avarum dixero, cùm tu Jura tua, & ab aliis iniquè poſſeſſa Bona jure vindicas. Ergo omnes damnandi avaritiæ tuô judiciô, qui in Judiciis Caſtrenſibus, Terreſtribus & aliis ſubſelliis, ab injuſtis poſſeſſoribus, ſua jure repetunt. Ergo Milites, & Servi, avari dicendi, qui pro ſuis obſequiis debitum prætendunt à Repub: & Dominis ſuis ſtipendium. Sic Politice Spirituales inſimulas avaritiæ, quia ſua, quæ ſibi jure debentur, exigunt; & tu non es dicendus avarus? qui nullo jure habito, Bonis Spiritualium inhias, eosq; velles omnibus ſuis facultatibus ſpoliandos. Item Spirituales tuô judiciô, Politice, ſunt avari, quando retentos Cenſus ſibi Decretô ſubſelliorum adjudicatos, Jure vindicant, tu verò minimè es avarus, qui eoſdem Spiritualibus debitos, reſtituere renuis? ita ut Spiritualibus, repetitis vicibus Jure contra te ſit agendum. Feſtucam vides in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo eſt, non conſideras?

deras? Hypocrita ejice primùm trabem de oculo tuo. Item, quid infertis inde DD. Politici? Spirituales ſunt avari: ergo fundationes novæ non admittendæ, ergo antiquæ minuendæ, &c. Conſiderate, ſi eſtis boni Dialectici, quæ iſta Conſequentia? num hæc Spiritualium (quam dicitis) avaritia, ingens Reipublicæ intulit damnum? num Spirituales deprædati ſunt publicum Reipub: ærarium? num in aliquo defraudarunt Rempub:? num Militem Reip. vel quempiam injuriarunt in ſtipendio? num in Bona aliena violenter nullo habito jure involarunt? Utinam ſic animadverteretis in eos, qui hæc faciunt? Alia verò avaritia, ut accipere pretium pro ſola præcisè adminiſtratione Sacramentorum, pro baptiſmo, pro aſſiſtentia Matrimonio, pro ſepultura &c. ut labes ſimoniaca, per Sacros Canones, à Domo DEI proſcripta eſt.

14 Objicitur 2. Spirituales ſcandalosè vivunt. ℟. Graviſſimè indolendum ac ingemiſcendum, quòd aliqui reperiantur ejuſmodi. Utinam tales percellantur illis Verbis Chriſti Matth: 18. *Qui ſcandaliſaverit unum de puſillis iſtis* (id eſt quemcunq; hominum) *qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Væ illi, & æternum væ homini illi, per quem ſcandalum venit! Utinam talis homo natus non fuiſſet! eò enim gravior talem manet æterna damnatio, quò magis ex vi officii ſui, &

obli-

obligationis exemplo omnibus præesse debuerat. Peccata enim per se maxima, longè majora sunt in Sacerdotibus, quàm in privato homine, ratione dignitatis, & eminentiæ. Cæterum DD. Politici monendos vos vellem, meminisse illius auro notandi dicti Constantini M. Imperatoris, qui narratur dixisse (ut habetur distin. 96. c. In scripturis) *Verè, si propriis oculis vidissem Sacerdotem DEI, aut aliquem eorum, qui Monachico habitu circumamicti sunt, peccantem, chlamidem meam expoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur.* Utinam tantam hujus Cæsaris in Ministros DEI, & Patres Vestros Spirituales, pietatem, & reverentiam imitemini. Quodsi crimen aliquod scandalosum in Ecclesiastico advertistis, in charitate ad eos, quorum scire interest, deferte, & statum spiritualem, in quo longe plures sunt sancti, & exemplares, malitiosè, & contumeliosè cum læsione conscientiæ vestræ, & obligatione resarciendæ famæ, nolite proscindere. Habent illi suos Superiores, quibus à S. Synodo Trident. sic præscriptum est Sess. 22. de Refor. c. 1. *Statuit sancta Synodus, ut quæ alias à summis Pontificibus, & à sacris Conciliis de Clericorum Vita, honestate, cultu, doctrinaq; retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunq; criminibus, necnon secularibus negotiis fugiendis copiosè ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis vel majoribus arbitriô Ordinarii imponendis, observentur, nec appellatio exe-*

 cutio-

cutionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si qua verò ex his in desuetudinem abiisse compererint, ea quàm primum in usum revocari, & ab omnibus accuratè custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscunq;, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas, DEO vindice, pœnas persolvant. Item advertite DD. Politici, utrum sit legitima hæc vestra consequentia? Spirituales aliqui scandalosè vivunt; ergo nullam habent jurisdictionem in Spiritualibus, ergo illis nulla præstanda reverentia, ergo privandi suis beneficiis. Si ita est? ergo vestrô judiciô, Collegium SS. Apostolorum damnandum est, proscribendum, quòd in illo Judas prævaricator, fur & proditor Christi repertus fuerit. O quàm toto erratis cælo! Numquid Princeps, Judex, Parens, eo ipso privatur jurisdictione, quia scandalosè vivit? Num ob eam causam, Principi à suis subditis, Judici à litigantibus, Parenti à filiis deneganda reverentia, & obedientia? Audite Christum dicentem Matth. 23. *Super Cathedram Moysi, sederunt scribæ, & Pharisæi. Omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis, servate & facite, secundùm opera verò eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt.* Quid tuâ refert? quòd Medicus, qui tuæ valetudinis curam habet, sit licentiosæ vitæ vel malæ fidei, dummodo te sanet; audis illum, revereris; & Medico Spirituali id non præstabis?

Objicitur 3. Ecclesiastici non satisfaciunt suæ obligationi. ℟. Triplex est genus obligationis Ecclesiasticorum; primum, quod concernit DEum, ut Residentia, Horæ Canonicæ, & Sacrificium Altaris. Secundum, quod concernit subditos, ut Verbum DEI, instructio in rudimentis fidei, administratio Sacramentorum, &c. Tertium concernit ipsum Ecclesiasticum, ut honestas vitæ, functiones propriæ, Ecclesia &c. Si aliqui Ecclesiastici obligationi illi, quæ concernit Deum, non satisfaciunt, quis vos DD. Politici in hac Causa constituit eorum Judices? Habent illi forum internum, in quo DEus Judex est, qui severissimè sibi illatam injuriam vindicabit. Si qui hac in parte delinquunt, sciunt, ad quid teneantur. Quodsi obligationi illi, quæ fideles, & ipsos concernit non satisfaciunt, habetis DD. Politici Judices Ecclesiasticos, quorum muneris est, ad id animadvertere, examinare, & corrigere. Denunciate, & causam suo relinquite foro. Judicent illi, qui si segnes fuerint, gravissimam DEO reddent rationem. Non tamen ex ea causa DD. Politici, à vobis privandi sunt Ecclesiastici suis redditibus, Censibus, ac Decimis. Non vestrum est, ea, quæ debentur fabricæ Ecclesiæ, & Christi pauperibus, propria auctoritate sequestrare, vel in vestros usus convertere. Quod Deo dicatum est, à nullo vestrum sinè sacrilegio usurpari potest: Quinimò DD. Politici, Census, quos debetis

Ecclesiis, in integro reddite, Decimas solvite, tum demum Ecclesiastici, quod eorum obligationis est, facient. Sit primò Beneficium, & erit officium. Utinam tamen DD. Politici à vobismet ipsis vestræ obligationis, quæ ad conservationem Boni publici spectat, tam exactam exigatis rationem, & advertatis, quotus vestrum præscriptæ in Statuto Regni, & legibus satisfaciat obligationi; hoc, longè magìs Bono Reip: conservationi S. Fidei & Libertati Vestræ proficuum esset.

16 Objicitur 4. Spirituales immiscent se Statui politico, & turbant Rempub: ℞. Id imponitur vel Spiritualibus, qui unà sunt Senatores & Ministri Statûs, vel privatis Ecclesiasticis. Si Senatoribus? officii illorum est Bono publico consiliis prospicere; si quid in publicis Conventibus, & Generalibus Comitiis dicunt conforme legibus Regni, & conservationi Reipub: consonum, non est id Rempub: perturbare, sed Bono publico ex vi muneris, & obligationis suæ consulere, ac dirrigere, ne quid nocivum Bono communi statuatur. Quòd autem iidem strenuè, & laudabiliter se opponant pro DEO, & Ecclesiis, nec permittant quidquam præjudiciosum Ecclesiasticis Juribus statui in Comitiis Generalibus Regni, id non est turbare Rempub:, sed est satisfacere suo Pastorali zelo; est parere sacris Canonibus, qui eos ad præfatum zelum sub gravissimis comminationibus obligant; est demum statum secu-

larem

larem dirigere, ac præmonere, ne ſtatuendo quid convulſivum immunitatis Eccleſiaſticæ, incurrat in Cenſuras. Filii S. Matris Eccleſiæ ſunt, ejus mandatis obediunt. Legite haſce comminationes, quas conſultò ad edocendos vos, infra adduco, N. 184. & ſeq: & N. 190. & ſeq: DD. Politici, & diſcite Patrum ac Paſtorum Veſtrorum exemplô, legibus S. Matris Eccleſiæ obedire, & eam revereri. Habetis vos leges Veſtras Patrias, (nulla enim Natio & Regnum ſinè legibus) habent & Spirituales ſuas. Zelatis vos pro legibus veſtris patriis, & bene agitis; Spirituales quoq; pro Juribus ſuis Eccleſiaſticis zelare, (ut in conſcientia tenentur) permittite. Ut quid itaq; illis id vitio vertitis? Si quis verò veſtrum DD. Politici, ſecundùm DEum, & conſcientiam rectam cenſuerit, conſilium Spiritualis eſſe nocivum Bono publico, habet liberum *Veto*. Habet item contra Perturbatores publicæ pacis (ſi qui ſunt ex Spiritualibus) altiſſimam in S. Sede Apoſtolica poteſtatem, ad eam recurrat. Si privatis Perſonis id imponitur, quæ nec in publicis Conventibus, nec in Comitiis habent locum, ſinè fundamento id aſſeritur; nam talium Spiritualium vox nullius activitatis. Et quàmvis aliquid in privato dixerint, Senatorii, & Equeſtris Ordinis eſt, num proficuum id ſit Bono publico, ponderare, nec privati hominis perſuaſione facilè flecti.

Obji-

17 Objicitur 5. Quo fine tanta multitudo Spiritualium? ℟. Bono publico, saluti animarum, & Majori Divinæ Gloriæ injurius est, qui paucitatem Spiritualium suadet; nam experientia docet, quòd in illis locis, in quibus est paucitas Spiritualium, sit summa inter homines ruditas, tum in iis, quæ ad cultum DEI, & animarum salutem sunt necessaria, tum in iis, quæ ad bonos mores spectant. DD. Politici, diminutô numerô Spiritualium, quis vestros filios ac populum rudem instruet in sana doctrina? in fide Catholica, in Christianis virtutibus, & morum integritate? Considerate illos Incolas; qui destituti Spiritualibus, vel ab illis longè dissiti, quantùm in sciendis rudimentis fidei, in politicis, & ad communem vitam necessariis moribus deficiant? talibusne incultis Vestram vultis constare Rempub:? Comparate inter se Civitates, oppida, villas, & advertetis in illis, cultiores esse honestate vitæ & morum homines, in quibus plures recensentur Spirituales. Cæterùm tamen hoc stupendum, quòd in tam numeroso (ut dicitis) Spiritualium cætu, in multis locis, reperiantur rudissimi Incolæ, quid fieret? si pauciores Spirituales essent. Multi ex vobis nunc nutant in fide Catholica, multa contra legem Divinam, naturalem, Ecclesiasticam, contra prima principia, quandoq; doctiorum explodenda risu, in discursum adducunt, idq; ex eo, quia rara illis cum Spiritualibus

libus

libus converſatio ; cogitate, quales Poſteri Veſtri futuri eſſent, diminutô ſpiritualium numerô? Quæritis adhuc DD. Politici, cui uſui tam frequentes Religioſorum Fundationes? ℟. in bonum Veſtrum, & commodum Reipub: ne filii veſtri vel filiæ mendicent. Sublatîs enim Religioſarum Domorum Fundationibûs, Religioſarum Perſonarum decreſcet numerus, filiisq; veſtris ac filiabus ad Religionem præcludetur ingreſſus. Non admiſsîs autem ad Religionem filiîs ac filiabûs veſtrîs, iiſdem in ſeculo de honeſta ſuſtentatione, de poſſeſſionibus providendum erit, ac Bona immobilia, & mobilia inter illos dividenda: ſicq; ſucceſſu temporis, augebitur numerô nobilitas, ſed decreſcet opibûs. Plùs expendendum erit ad nuptias evolanti dotandæ filiæ, quàm Religioſam amplectenti vitam, expenſum fuiſſet; plùs in ſericeas, in aurô textas veſtes, in famulatum, in equos, in rhedas, quàm in groſſum habitum. Credite itaq; DD, Politici, diminutîs Religiosîs Clauſtrîs, ac Religiosîs Chriſti pauperibûs, veſtros Poſteros ſucceſſu temporis inopes evaſuros. Item eo fine neceſſaria eſt multitudo ſpiritualium, ut quotidie per ſacrificia, & pſalmodiam DEum colant, ac pro peccatis populi & veſtris eum deprecentur. *vide* § 4.

Objicitur 6. Cui uſui tam pretioſus Eccleſiarum decor & ſplendidus apparatus? ℟ Hæc eſt Atheo- 18
politicorum, & hæreticorum objectio, qui cum Juda

 Iſcario-

Iſcariote dicunt: *ut quid perditio hæc?* pauperibus, & alendis militibus periit, quidquid decori Domus DEI impenſum eſt. Publico Reipub: deceſſit ærario, quidquid ad DEI cultum, ad excitandam populi Religionem, ad ornatum Eccleſiarum profuſum eſt. O zeloſos Boni publici promotores! Hæccine eſt perditio, quidquid in cultum DEI expenditur? & illæ veſtræ ſumptuoſæ aliquot centenîs millibûs æſtimandæ *tempore Bacchanalium* Collationes non ſunt perditio? Multum deceſſit publico Reipub. ærario, militibus, & pauperibus, quidquid acceſſit in Ornatum Eccleſiis, nihil verò deceſſit, quidquid in luxum veſtium, in lautiſſimâ convivia, in meretrices expenſum eſt? nonne hîs expensîs miles, & pauper ali poterat? Dolendum! licitum eſt judicio Politicorum, æternam damnationē, ipſum infernum, tantîs mercari ſumptibûs, & æternam ſalutem non licet minoribûs? Ut æternùm pereas, fas eſt tibi totam ſubſtantiam, & facultates abligurire, & nefas eſt partem illarum ad placandum DEum pro peccatis, ad promerendam vitam æternam impendere? Nonne hæc eſt impietas Atheiſtica? Quis unquam poteſt id homini, quod illi jure naturæ debetur, denegare? Sed redeamus ad Eccleſiaſticum apparatum. Quæro ex vobis DD. Politici, cui uſui tam auguſta Principum terrenorum ædificia, & palatia tot centenîs millium exſtructa ſumptibûs? cui uſui ſericeis, aurô textîs

aulæis

aulæis adornati parietes? cui usui argentea aureaq; supellex? Dicetis: ad demonstrandam Principis terreni Majestatem, ad persuadendam erga Principem in subditis admirationem, & reverentiam. Repono. Hæc vultis terreno Principi fieri, & DEO Creatori Cæli, & terræ denegatis? siccine pluris æstimatis Majestatem terreni Principis, quàm DEI Regis Regum, & Domimini dominantium. Placet vobis unum hominem, qui pulvis, & cinis est, qui par est naturâ homuncioni abjectissimo, in splendidis habitare ædificiis, & DEum sub speciebus Eucharisticis contentum, in adornato tabernaculo, residere, vobis displicet? deprædicatis majestuosa Principum palatia, & Domum DEI opulentam damnatis? vosne dicam veros DEI cultores & Catholicos? Proh! dolor. Ethnici suis Idolis magnifica exstruebant fana, adornabant aurô; (quod & nunc Machometani, in suis delubris, & sarcophagis faciunt) nostri Pseudopolitici, DEI veri templa, omni volunt spoliare decore! Estne hæc in DEum pietas Catholica? Indubitatum est, quòd DEus velit sibi ab hominibus præstari cultum, eumq; maximum, vult se glorificari, ut constat ex multis S. Scripturæ locis, & lumen naturæ dictat. Quô autem modô excitabuntur homines ad honorandum, & glorificandum DEUM, si non Sacrîs ædibûs splendidè adornatîs? Quid in admirationem Divinæ Majestatis rapiet homines? quid

movebit ad supremi Numinis reverentiam? si non ampla Ecclesiarum Majestas, & apparatus? Vir clarissimus, si casam inhabitet, contemnitur; obscurissimus, si palatium incolat, honoratur. Hinc DEI instinctu, & Parentis sui Davidis jussu sapientissimus omnium Salomon DEO ædem exstruxit amplitudine, & ornatu prorsus admirandam. Amplitudinem ejus non describo, brevitatis gratiâ; solum ornatum recenseo. Trabes erant cedrinæ, concameratio cedrina aurô illita, & parietes omnes. In loco sanctiore, qui à reliquo templo distinguebatur, januæ aurô rutilabant, vela ductilia nitebant variîs meandrîs, & floribûs intexta; duo Cherubini ex auro puro. Vasa templi, quæ fecit Salomon enumerat Joseph l. 8. antiquit. c. 2 alias 3. (ut refert Azor Justit: Moral: p. 1. l. 6. c. 8 & l. 6. c. 54. q. 2.) hîs verbîs: *Candelabrorum item fecit decem millia: juxta præscriptum Moysis, ex quibus unum in templo dedicavit, ut interdiu luceret juxta legem. - - Cantharorum autem vinariorum octoginta millia sex comparavit, & phialarum aurearum decem millia; argenteas verò fecit numerô duplicatô. Pateras autem aureas ad offerendam in illis similam maceratam ad altare octoginta mille, & argenteas duplicatô numerô. Crateras quoq; in quibus similam oleo subigebant aureos sexaginta mille, argenteos numerò duplicatô. Mensurarum, quales à Moyse Hin vocantur, & Assaronum aurearum erant viginti millia, & duplicatus numerus ar-*

gentea-

gentearum. Acerræ quoq; aureæ, hoc est thuribula, quibûs odoramenta, & incensum in templo offerri solent, erant numerô viginti millia, & alia, quibûs deferebatur ignis à magno altari in parvum, intra templum, quinquaginta millia. Tubarum, quales Moyses præscripsit, ducenta millia. Instrumentorum præterea musicorum, quæ Nabla, & Cinnyra vocantur, in usum hymnodiarum ex electro confecit quadraginta millia; quæ omnia Salomon ad honorem DEI magnificè paravit, nullis parcens sumptibus, sed omni libertate usus, hæc in thesauris DEI condidit. DD. Politici, si tunc præsentes fuissetis in præfato Salomonis templo, ad talem pretiosum splendorem, & apparatum, fortè intensiore exclamassetis voce: *Vt quid perditio hæc?* improbassetis tunc prodigam libertatem Salomonis; & tamen tam magnificum Sacræ ædis apparatum, sibi gratum accidisse, DEus in ejus dedicatione manifestô indicavit miraculô, ut habetur 2. *Paralip.* c 8 Factas à Davide, & Salomone in ejus fabricam, & ornatum expensas copiossimè remuneratus est, dum ejus Domum, regnatricem, in perpetuum, & Messiam nasci ex sua progenie, fecit, spopondit q; se in præfato templo oraturis semper futurum propitium. Experti sunt id ipsum Antecessores Nostri, qui, quo liberaliores erant in DEum, & Sacras ejus ædes, quo magìs auxerunt Domûs DEI decorem, eò ditiores, & potentiores, opibûs, famâ, & æstimatione exstiterunt.

19 Objicitur 7. Quid Spiritualibus, & Religiosis cum Villis, & prædiis? Vivant more Apostolorum, & eo sint contenti, quod ex eleemosynis perceperint. ℞. Hic error fuerat Hussitarum, & Hieronymi de Praga, asserentium, non licere Ecclesiasticis possidere Bona immobilia Quem errorem Concilium Constantiense damnavit. Non nego quidem, quòd in primitiva Ecclesia Spirituales solis sustentabantur eleemosynis, & pecuniâ ex venditis collectâ prædiis; sed successu temporis etiam prædia, fundos possidere cæperunt; ob quam causam, adduco testimonium Urbani Papæ Epis. Unic. c. 1. sic dicentis: *Videntes autem summi Sacerdotes, & alii atq; Levitæ, & reliqui fideles, plùs utilitatis posse conferre, si hæreditates, & agros, quos vendebant, Ecclesiis, quibus præsidebant Episcopi, traderent, eò quod ex sumptibus eorum tam præsentibus, quàm futuris temporibus plura, & elegantiora ministrare possent fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex pretio ipsorum; cæperunt prædia & agros, quos vendere solebant Matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum vivere.* Hæc fuerat ratio Spiritualibus successu temporis possidendi Bona Immobilia. Cæterum DD. Politici, qui prætenditis, ut omnes Spirituales ex solis eleemosynis vivant, quæro ex vobis, tam numerosis Religiosis quis providebit illas? molestum vobis est, si unius Religionis Procurator eleemosynarum, aliquoties in annum compareat, & sti-

pem

pem petat, accusatis vestram inopiam, conquerimini contra calamitosa tempora; quid diceretis? si plures ex variis Religionibus idq; sæpius mendicantes ad postes Vestros accederent, fortè reponeretis, tam frequentibus eleemosynis vestros Pagos, & Villas non suffecturas. Si nunc Spirituales summam vobis facessunt molestiam, in repetendis, qui sibi ex justitiâ debentur, censibus; quantò majorem facesserent, quod illis ex sola charitate præstandum esset. Hæc est itaq; Religiosis Ordinibus Villarum, & Prædiorum necessitas, ne vobis, & aliis, mendicando eleemosynam, sint molesti. Ideo piissimi Fundatores Monasteriorum, Cænobiorum, Collegiorum, Religiosis providerunt fundos, Pagos, ut vestris parcerent villis, & prædiis, ut vestri fructus manerent in integro. Quodsi quandoq; iidem Religiosi apud vos mendicent, ne miremini, desolatio Bonorum per continuas contributiones, & iniquas oppressiones, eos cogit id facere. His addo singulare. Si possideri Bona Immobilia à Spiritualibus, esset contra æquitatem, & justitiam, num in Regno nostro, ad preces S. Stanislai Episc. Cracov: & M. pro vindicandis iisdem bonis mortuum Piotrovinum in testem, DEus à mortuis suscitasset. Num DEus in confirmationem iniquæ causæ, & sibi displicentis, tantum patrasset miraculum?

20 Objicitur 8. Metuendum eſt, ne univerſæ Nobilitatis Bona Eccleſiaſtici occupent. ℞. DD. Politici, tunc ſperandum eſſet id eventurum, quod metuitis, quando univerſæ Nobilitatis filii, nullô exceptô, Spirituales fierent, & in eo ſtatu conſtituti, Bona ſua poſſiderent; ſi autem hoc impoſſibile creditis, & primum impracticabile cogitate. Proinde hunc Veſtrum metum, vanum eſſe credite, idq; ex eo. Sunt quædam Religiones, quæ ſunt incapaces ſucceſſionis, quædam incapaces Poſſeſſionum; ergo ſaltem illi, qui præfatas ingredientur Religiones, devoluta in ſe Jure ſucceſſionis Bona, non occupabunt. Item ab ingreſſu Religioſorum in Regnum Poloniæ, aliquot centena hominum millia, ſe in variis Monaſteriis DEO dedicarunt, ex quibus vix aliqui ſuas Poſſeſſiones Religioſis Domibus incorporarunt. Vos illorum ſucceſſores facti. Advertite, quod ex Fundatione Monaſteriorum, & piorum locorum, plus Nobilitati acceſſerit, quàm habere potuiſſet. Nam ſi non fuiſſent tot Fundationes Religioſorum Ordinum in Regno Poloniæ, hi qui nunc Spirituales fiunt, vel Religiones, Paupertatem Chriſti amplexi, ingrediuntur, ſi in eodem ſtatu ſeculari permanſiſſent, hæc Bona, quæ nunc ſui ſucceſſores Collaterales hæreditant, poſſediſſent cum ſuis Poſteris per lineam rectam deſcendentibus; ſicq; præfati Nobiles, minùs vel nihil de Bonis, quæ nunc poſſident,

fident, habuissent. Item si à tanto tempore, quo longè liberaliores, & profusiores erant Poloni in fundandis piis locis, nondum universæ Nobilitatis Bona per Spirituales occupata, nec secuturîs temporibûs occupanda metuite. Addo vanum esse etiam ex hac ratione metum, quia si Bona Nobilium, & Spiritualium inter se conferantur, apertè constabit, Bona Spiritualium, à Numero Bonorum Nobilium longè deficere. Nam in toto Regno Poloniæ (ut habetur lib. cui Titul: Respons Duchowieństwá, & Chleb niezdrowy) in Bonis Nobilium Lanei sunt 180, 000. In Bonis Spiritualium Lanei sunt. 22, 000. Sed dato, non concesso, plura ab Ecclesiasticis quàm à Nobilibus occupanda Bona, quid inde detrimenti haberet Respub.? cùm eadem Spiritualium Bona æquè obligata essent oneribus Reipub: cum Bonis Nobilium. Nec etiam particularibus Regni Civibus, ejusmodi Spiritualium Possessiones, quidquam nocumenti adferrent, quod sic deduco. Aliquis Nobilium, qui unicum v. g. possidet glebæ laneum, nihil habet detrimenti, & injuriæ, ex eo, quòd alter Nobilis longè se ditior, laneos centum possideat; cur idem Nobilis habebit detrimentum, Spirituali id totum possidente? Quodsi de Bonis purè Ecclesiasticis sermo fiat? etiam hæc plurimum emolumenti Reipub: per sæpe repetita subsidia charitativa, attulerunt, & adferunt, quæ si hactenus à Nobilibus possessa fuissent,

nunquam quid ſimile in Bonum publicum contuliſſent. Cæterum, ſi quos adhuc hac in parte angit ſcrupulus, ſuadeo illis eundum in Ukrainam, & in loca deſerta habitatione hominum deſtituta, ibi ampliſſima invenient latifundia, illa occupent, excolant, hominibus habitualia faciant, avulſa repetant; O! quanta Bona, ſinè læſione alieni juris poſſidebunt.

21 Objicitur 9. Multæ Nobilium Poſſeſſiones, Cenſibûs Eccleſiaſticîs oneratæ iiſdem ſolvendis jam non ſufficiunt. In Civitatibus verò Lapideæ iiſdem Cenſibus ſubjectæ, corruunt ac eâ viâ Civitates deſolantur. ℟. Eorum quæ objiciuntur, non tam Spirituales eſſe in cauſa, quam illos, qui ſummas Spiritualium in Cenſum accipiunt. Cur enim indigentes pecuniâ, fructus Bonorum ſuorum in parte, Spiritualibus Contractu Cenſuali (qui omni jure omnibus eſt licitus) vendunt? Preſſi vix non extremâ indigentiâ, cùm à Spiritualibus, multîs precibûs, & ſubmiſſionibûs, ſubſidium charitativum efflagitant, & ab iiſdem ſublevantur cum onere perſolvendi Cenſis, grato id accipiunt animo; dum verò exſolvendi ſunt iidem juxta contractũ initũ Cenſus, gravatè id ferunt, & exſolvendorum obligationem ſubterfugiunt. Eſtne id æquitatis, & juſtitiæ? Indigi pecuniâ, charitatem Chriſtianam à Spiritualibus ſibi præſtari non poſtulent, tum demum ad ſolvendos cenſus non obligabuntur.

De

De Bonis verò ſubjectis Cenſibus reſpondeo. Cer- 22
tùm eſt, quòd cuilibet Nobili, & Civi improli (quanquam etiam, & prolem habenti, modo filiis Legitimam relinquat) liberum eſt juxta ſuam voluntatem, ſua Bona ſive immobilia, ſive mobilia vendere, & totùm ex illis perceptum pretium in quasvis expenſas (etiam, quod grave, & oneroſum eſt conſcientiæ, quia cùm damnatione æternâ, in illicitas, nempe in luxum, in compotationes, & ſimilia) convertere, ita, ut ſi nihil de illo pretio poſt fata ſua ſucceſſoribus relinquat, nullam illis faciat injuriam; nec illi, ad quos tranſiit pretium, ad reſtitutionem obligentur; Ut multa ſunt hujus rei in Regno Noſtro exempla; quod Statuto Anni 1511. ſub Sigiſmundo confirmatum, quod eſt tale: *Quia Jure Divino, & humano permiſſum eſt hominibus, diſponere de rebus ſuis, pro eorum arbitrio & voluntate: ſtatuimus, quòd Steriles homines omnia bona ſua hæreditaria, poſſint alienare juxta ſuam voluntatem.* Cur eidem homini idem totum pretium in pios uſus, & pro ſalute animæ ſuæ, ad augendum DEI cultum expendere non erit liberum? præcipuè ſi nolit, ut ſuo labore, multo ſudore quæſito, alius vel extraneus, vel ingratus ſucceſſor gaudeat; vel talis, qui id totum in illicitos luxus, cum æternâ animæ ſuæ damnatione expenſurus eſſet. Item ſi idem homo ſterilis non habeat Emptorem Bonorum ſuorum immobilium vel mobilium, interim morti

proximus, sic de iisdem Bonis disponat: Omnia Bona mea, quæ tali æstimantur pretiô, pro salute animæ meæ lego, cum hoc onere, ut cuivis vendantur, & summa præfata, in pias expendatur causas. Quæro talis dispositio essetne iniqua? vel cui injuriosa? Num si supervixisset ille homo, vendere Bona sua non potuisset? juxta consilium Christi: Lucæ 12. *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam; &c.* Accedit doctrina Dianæ, qui sentit, valere Legatum in hac forma: *Instituo mihi hæredem animam meam ita, ut testamentarii teneantur Bona relicta vendere, & pecuniam, in emendo panem, vinum, oleum, pisces, & alia necessaria, in eleemosynam Fratribus Minoribus hujus Civitatis insumere.* Idem tenet Vilbalo, &c. Ergo eidem licitum erit, eadem Bona, cuivis ita vendere, ut si par non sit solvendo, de pretio integro emptor, à summa non exsoluta censum solvat. Item licitum est cuiq; Bona sua immobilia, jure, & modô obligatoriô in summa certa obligare, & invadiare cuivis Laico; nec per hoc desolantur Bona; cur non licebit eadem Bona obligare Spiritualibus? Num deterioris conditionis, hac in parte debent esse Spirituales, quàm Laici? summæ quoq; Dotales hærentes in Bonis Nobilium, tolerantur à quovis Possessore: cur non Ecclesiasticæ summæ. Item per Reformationes vestras, Bona non desolantur, & per Census Ecclesiasticos desolantur? Quinimo sciendum, quòd per Census Ecclesiasticos in Bo-

nis

nis Nobilium hærentes, non solùm non desolantur Bona, sed etiam ipsamet Nobilitas magnum habet emolumentum, quod sic deduco. Supponamus duas esse Villas, quarum singularum pretium sit Centum millium flor. una tamen illarum est munda, & libera ab oneribûs, altera verò, summâ Censuali Ecclesiasticâ 50. millium onerata. Ut quis priorem Villam mundam ab omni onere emat, summam 100. m. vel in paratis habere, vel aliunde cum summa solicitudine, labore, & onerosis obligationibus commodato comparare debet. Ut verò posteriorem Villam summâ Ecclesiasticâ 50. m. flor. oneratam emat, sufficiet illi 50. m. habere; sicq; 50. m. numeratîs, Villam 100 m. æstimatam, emet sinè ulla solicitudine, sinè ullis onerosis obligationibus. O quantum levamen, & emolumentum ex summa Ecclesiastica, in illa hærente Villa! Dices: sed Possessor Villæ debebit solvere Censum. Quid tum? num si aliunde summam 50. m. contraxisset, ab illâ Provisionem solvere, eamq; in majori quantitate, quàm Census Ecclesiasticus, non obligatus fuisset?

Præstant insuper suis Censibus Spiritualibus, *Tenutariis* Villarum (amplè terminum hunc accipe) hoc beneficium. Nam illâ summâ, quâ emunt Census Spirituales, poterant medietatem v.g. Villæ emere, (cum non insolitum sit, in una Villa duos vel plures Possessores esse diversarum sortium) cum pacto de re- 23

trovendendo, ſeu Contractu *Wyderkauff* dicto. In tali caſu Spirituales, medietatis Villæ, cum omni jure, dominio, & proprietate, Poſſeſſores fuiſſent, induſtrias oeconomicas adhibuiſſent, fructusq; percepiſſent, &c. Cùm autem Cenſum emunt, in re quaſi, eam medietatem Villæ à ſe emptam, Tenutario alterius medietatis in poſſeſſionem tradunt, cum omni jure, dominio, & proprietate, ac fructibus, quos ipſi percepturi erant, ſolo ſibi reſervato certo pretio ſingulis annis à Tenutario exſolvendo, quod longè minus eſt, illis fructibus, quos Tenutarius ex illâ medietate Villæ Spiritualium eſt habiturus. En! quantum lucrum Tenutarii ex Cenſibus Eccleſiaſticis habent?

24 De Lapideis vero Cenſu Eccleſiaſtico oneratis, dico. Sit ille, qui in Civitatibus Ordinatis eſt, Ordo, nunquam lapideæ corruent. Plurimæ in exteris Civitates, ſimiles habent ſummas, & tamen, ſolutione Cenſuum non deſolantur. Si tamen Poſſeſſoribus moleſtum videtur, Cenſus præfatos ſolvere, ſuaderem, ut Nobiles ſua Bona, Civitates, ſuas Lapideas Cenſibus oneratas per levationem ſummarum Originalium, mundas, & liberas faciant, & ſe ſolvendorum Cenſuum liberabunt onere. Quodſi quæras? cum ſummis Originalibus levatis, quid Spirituales facient? Reſpondeo: ſuos Superiores, & S. Sedem Apoſtolicam conſulent.

Ex hac

Ex hac occasione, hîc pios Fideles informandos 25
vellem; ut qui pro salute animæ, & remissione peccatorum ad placandum DEum, aliquid piis locis offerre volunt, si quas habent paratas summas, ut eas DEO offerant, ex nunc in pios usus convertendas, & absumendas, vel in restaurationem collapsarum Fundationum; cum magìs id DEO sit acceptabile, quod stante vitâ ab ipso offerente illi datur, quàm quod post fata per alienas manus. Quod si quis solùm Bona immobilia habeat, nullam paratam summam, & velit pro salute animæ suæ, aliquod DEO præstare obsequium, satius illa Bona vendat, & pretium in pia legata convertat, nec sua Bona faciat Censualia; tali enim viâ, & Successores suos seu Possessores Bonorum, à periculo æternæ damnationis liberabit, quod facilè incurrerent, non solvendo census, ut experientiæ docent, & suâ piâ coram DEO non frustrabitur intentione.

Oppones. Ego volo fundationem facere perpe- 26
tuis temporibus duraturam. Quæro, hanc Fundationem vis applicari, vel animæ tuæ, vel aliis animabus, vel devotionibus, & obligationibus, perpetuò celebrandis? si Animæ tuæ? num perpetuis temporibus vis esse in Purgatorio, sicq; perpetuis indigere suffragiis? utinam in hac vitâ culpas nostras per Sacramentum Pænitentiæ expiemus, pænas vero pro illis debitas tum per eleemosynas, tum per alia pia opera satisfa-

ctoria,

ctoria, in hac vita extinguamus, quàm nos pœnis Purgatorii reservemus? Si verò hanc Fundationem vis applicari aliis Animabus Purgatorii, vel piis Devotionibus, & Sacrificiis in Ecclesiâ perpetuò instituendis? pium, & laudabile intendis opus; utinam hoc perpetuis duret temporibus. Sed hac in parte sum dubius, cùm nos experientia doceat, multas ejusmodi Fundationes, ob retentos à multis annis Census, cessasse, multas corruisse. Jure verò, retentos Census vindicare, Spiritualibus, & sumptuosum est, & invidiosum. Satis invidiæ, & odii apud seculares habent, cùm avaritiæ insimulantur. Insuper pro vindicandis Jure, retentis Censibus, nova deberet provideri fundatio, cum ex redditibus Beneficii, quos Spirituales percipiunt, & in usus certos expendunt, expensas in lites facere, nec obligentur, nec possint obligari. Ne verò perpetuis temporibus, pro animabus purgatorii cessent pia suffragia, Divina Providentia singulis temporibus corda fidelium ad hanc pietatem excitabit.

27 Objicitur 10. Gravem injuriam faciunt successoribus, & Consanguineis qui prætermissis illis, Bona sua piis locis legant. ℞ Ex quo capite injuriam faciunt? Exstatne lex aliqua, ut ea, quæ quis stante vitâ suâ, proprio sudore, & industriâ comparavit, post fata sua necessario successoribus, & consanguineis applicet? & nullo modo pro æternâ salute animæ suæ?

Quid

Quid si eam industriam, & laborem non adhibuisset, nec ulla Bona comparasset, num alicui successorum fecisset injuriam? num quis ideo, quòd in comparandis Bonis desudaverit, debet esse deterioris conditionis, & infelicior illo, qui ne digitum quidem movit? nam hic suæ voluntatis est Dominus, nec ulla lege gravante, & sibi præjudiciosa adstringitur, ille verò alienæ efficitur mancipium, cum de Bonis propriis tanto labore quæsitis ad arbitrium suum non possit disponere. Non diffiteor, legem naturalem esse, & Civilem, ut Parens Filiis suis provideat legitimam, & ad hanc eum obligari, ipsa dictat ratio; sed ut id quod est ultra legitimam, vel si nullam habeat Prolem, teneatur Successoribus relinquere, nec quidquam pro salute Animæ suæ expendere, exstatne lex aliqua Naturalis, vel Divina? Nam de ea, quam sibi fingunt quidam Politici, dicam *Num*: 176. *& sequenti.* Nullus ageret contra Legẽ, nec Successoribus faceret injuriam, qui Improlis, totam suam substantiam, in Convivia, in numerosum famulatum, in largitiones, in pompam, & similia expenderet; vel qui in obsequium Reipub: minimè ei obligatus, ex mera liberalitate, aliquot cohortes militum suo sumptu aleret, totamq; suam sortem in id absumeret, quod verè esset pium opus; ille verò, qui id totum in bonum Animæ suæ expenderet, quam Legem violaret? Num Anima propria, omnibus his debet esse

deterior? ... Quod Animæ propriæ ante omnia primus habendus sit respectus, Lex & Divina, & Naturalis dictat; & Lex Civilis exstat. L. Habeat C. de Sacro: Eccles: 1. *Habeat unusquisq; licentiam sanctissimo Catholico Venerabiliq; Concilio, decedens, Bonorum, quod optaverit,* (nota, Legem illimitatè loqui) *relinquere, & non sint cassa judicia ejus. Nihil enim est, quod magis hominibus debeatur; quàm ut supremæ voluntatis (postquam jam aliud velle non possunt) liber sit stylus, & licitum, quod iterum non redit arbitrium.*

28 Posse quoq; Ecclesiæ, & piis locis legari Bona stabilia vel in parte, vel in toto, Leges Civiles testantur, L. Generali C de Sacr: Eccl: *Generali Lege sancimus, sive Vidua, sive Diaconissa, vel Virgo DEO dicata, vel Sanctimonialis Mulier, sive quocunq; alio nomine religiosi honoris, & dignitatis fœmina nuncupata, vel testamento vel codicillo sunt (quod tamen alia omni Juris ratione munitum sit) Ecclesiæ vel Martyrio* (id est: Templo Martyrum) *vel Clero vel Monachio, vel Pauperibus aliquid vel ex integro, vel ex parte, in quacunq; re vel specie crediderit relinquendum, id modis omnib' ratum firmumq; consistat; sive hoc institutione, sive substitutione, seu legato aut fidei commisso per universitatē, seu speciali sive scripta sive non scripta voluntate fuit derelictum; omni in posterum in hujusmodi negotiis ambiguitate submota.* Item Authen: de Sacr: Episc: *Si quæ Mulier aut Vir, liberis non exstantibus Monasticam vitam elegerit, & Mo-*

nasterium

nasterium intraverit; Monasterio, quod intravit res ejus competere jubemus. Sed si Persona liberos habens, antequam de rebus suis disponat, Monasterium intret, liceat ei postea inter dividere, legitima nulli deminuta; & quod eis non dederit, Monasterio competet. Sed si omnem substantiam inter illos dividere voluerit, suâ Personâ Filiis connumeratâ, partem sibi retineat, quæ Monasterio competere debet. Sed si post ingressum Monasterii moriatur, antequam inter illos dividat, filii legitimam percipient, reliqua substantia Monasterio competente. Nota: quod in adductis textibus Juris, nulla habeatur successorum vel consanguineorum (exceptis liberis, quibus sola debetur legitima) mentio.

Insuper. Si totam substantiam convertere in pias causas, exclusis Successoribus, & Consanguineis esset contra Jus Naturale, & Divinum; num Christus, qui de se dixerat Matth. 5. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Illi Diviti (de quo Matth. 15. Marc. 10. Luc. 18. interroganti se: *Magister bone, quid faciens, vitam æternam possidebo?* respondisset: *Vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* Nonne satiùs dicturus erat: vade, hæc Bona quæ habes relinque Successoribus, & Consanguineis, quibus Jure naturæ debentur, & sequere me. Nonne quoq; Christus judicio Politicorum, Zacheum Luc. 19. dicentem: *dimidium bonorum meorum do pauperibus* reprehens 29

prehensurus erat; quòd Successores suorum Bonorum hæredes non fecisset? Quid item censemus de Apostolis, Viris Sanctis, & observantissimis Legis Divinæ? qui Judæis, & Gentilibus opimæ fortunæ ad Fidem Christi accedentibus, omnia sua bona, communi Fidelium sustentationi applicanda permiserunt, nullo Successorum, & Consanguineorum respectu habito; num id permisissent, si id facere, contra Jus Divinum, & Naturale esset? Quid dicemus de plurimis Sanctis Martyribus, qui ituri ad Martyrium, omnes suas facultates inter Pauperes Christi diviserunt? Num contra Jus Naturale & Divinum deliquisse promulgandi, & condemnandi? Quid de Sanctis Confessoribus, & Virginibus Sanctitate vitæ, & miraculis conspicuis? qui Sanctam auspicaturi vitam, Bona sua, & Patrimonium de integro in Pauperes erogarunt? Num DEus, eorum tantam liberalitatem, si iniqua, & injuriosa esset, miraculorum famâ, & æternæ vitæ præmiô remuneratus fuisset? Demum quid dicemus de illis Piissimis, & in S. Sedem Apostolicam liberalissimis Monarchis ac Regibus, qui Regna, Principatus, & Bona sua, in recognitionem Supremi Dominii DEI, per quem Reges regnant, Successoribus S. Petri, & Vicariis Christi dedicarunt? si contra Justitiam deliquerunt, si Successores suos injuriarunt, num DEus eam eorũ liberalitatem, utpote de alieno acceptasset? num eorundem Bono-

rum

rum jam ab Ecclesia Possessorum, Invasores, ac prætendentes eadem Bona à S. Sede Apostolica, & ab Ecclesiis avellere, ut Justissimus Judex, & Severissimus Vindex, gravissimis punivisset pænis? Lege Annales Ecclesiasticos Eminentissimi Cardin: Baronii, & aliorum.

Accedit lex, & praxis Ecclesiæ, quæ pia legata, 30
si fiant cum damno, & injuria tertii, non acceptat, sed priùs ex illis debita solvenda, & injuriatis satisfaciendum præcipit; tandem, si quid superest, in pias convertendum causas. Qua itaq; ratione eadem Ecclesia factas à Fidelibus donationes Bonorum in pias causas, approbaret, si per illas aliqua Successoribus fieret injuria? Imò sciendum est, ex communi T.T. Sententia, si quis injuriaret proximum v.g. per rapinam, per furtum vel alio modo, & ingressus Religionem, hæc malè acquisita, donaret Religioni; præfata omnia teneretur Religio restituere injuriatis, vel eorum Successoribus. Ergo cum permittit Ecclesia, Bona à Fidelibus legari piis locis, seclusis Consanguineis, patet per ea legata, nullam Consanguineis fieri injuriam. Vide dicenda *num: 244. & seq.*

Hactenus dicta, concludo allocutione Vestri DD. Politici. Creditisne? quæ Christus D. *Matth. 25.* dixit: quod in tremendo illo extremo Judicio, in quo omnibus nobis comparendum erit ad dandam ratio-

nem de totius vitæ dictis, factis, & cogitatis, Judex vivorum, & mortuorum Chriſtus, in illos, qui à ſiniſtris erunt, talem proferet ſententiam: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & Angelis ejus.* Si cauſam tam horrendi Decreti, & æternæ damnationis quæritis? audite ipſum Chriſtum Judicem: *eſurvi enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi potum, &c.* Ideone damnabuntur impii, quia cum benefacere poſſent egenis, neglexerunt, quia ipſi Chriſto, in pauperibus, & ſervis ſuis eſurienti, & ſitienti non ſubvenerunt? ita eſt. Quæ ergo vos manet in illo tremendo Judicio ſententia? ſi qui non ſolùm, cum benefacere de proprio poſſetis, contempſiſtis, ſed inſuper alios à benefaciendo retraxiſtis, ſi qui alios ad conſtituendum ſtatuta, & decreta, ne quis DEO pro æterna ſalute ſua, pro remiſſione peccatorum, quidquam offerre poſſet, ut pia legata caſſarentur, & ſimilia perſuaſionibus veſtris, inducere attentaſtis? Quid cenſetis? quæ eos, qui Pauperibus id, quod eis ad manducandum datum eſt, ſurripuerunt, Divina expectet ultio? ſi illos, qui eſurientibus non ſubminiſtrarunt cibum, æterna exſpectat damnatio? ſi eò in profundum ſcelerum veſtrorum deveniſtis, ut nulla ſit vobis æternæ ſalutis veſtræ cura, nullus æternæ damnationis metus? ſaltem à trahendo alios in eandem damnationem deſiſtite.

ſiſtite. Si de veſtris Bonis nihil conferre vultis, ſeu invidetis DEO (quanquam nec à vobis invitis id prætendit DEUS, qui voluntarium noſtrum vult ſacrificium) ſaltem de alieno non invidete. Quid indè damni vel detrimenti habetis, quia alii de proprio in DEUM ſunt liberales? Videritis, ne hac impietate Veſtra DEUM Largitorem omnium Bonorum, qui eorum omnium, quæ poſſidetis, abſolutiſſimus eſt Dominus, & Dator; eaq; pro libitu ſuo auferre vobis poteſt, provocetis ad vindictam. Spectate exemplum in Regno Sueciæ, in quo poſt avulſa Bona Eccleſiaſtica, idem fatum, permittente ſic in pænam talionis DEO, in Bona Nobilium devolutum eſt; quæ niſi ipſis Nobilibus conſentientibus facta fuiſſent tributaria, non fuiſſent ſua. Recolite, quod Vobis jam DEUS aliqua ex parte par pari reddiderit. Quæ ſit libertas Bonorum Nobilium ab omnibus Collectis, Contributionibus, ſtativis Militum, ſatis liquet ex Statuto Regni. Poſſeſſiones quoq; Spiritualium, pari cum veſtris Bonis gaudebant libertate; & quamdiu hæ immunes fuerant ab omni oppreſſione, tamdiu, & Bona veſtra in integro conſervata. Hoc calamitoſo tempore in Regno noſtro, licentioſo Militi per Regnum graſſanti, conſiſtentias in Bonis Spiritualium fieri, eaq; invadi, exactionari, devaſtari, ſuaſiſtis, ut veſtra in integro conſervaretis; tandem, cùm Bona Spiritualium funditus

deva-

devaſtata illi non ſuffeciſſent, Veſtra aggreſſus eſt, ſicq; Aularum veſtrarum ſublata ſecuritas. Vultis Bona veſtra conſervanda? Bona Eccleſiaſtica conſervate.

Quæ verò ſit Immunitas Eccleſiaſticarum Perſonarum, & Status Spiritualis, Libertas Bonorum eorundem ab oneribus, contributionibus, & aliis exactionibus, ad demonſtrandum jam progredior.

DISSERTATIO

De Immunitate Eccleſiaſtica.

31 JMmunitas ut ſic juxta Hoſtien: eſt quaſi Emunitas; id eſt extra munia, vel munera, vel onera; ſicq; definiri poteſt: *eſt Privilegium, quo res aliqua vel Perſona á communi aliqua obligatione eximitur.* Immunitas verò Eccleſiaſtica eſt *Privilegium & Jus, quo Eccleſia vel Perſonæ Eccleſiaſticæ, vel Res illarum ab oneribus vel officiis Secularibus eximuntur.* Ita Suar: in defenſ: Fidei Cathol: l. 4. c. 1.

Immu-

Immunitas Ecclesiastica triplex est. Personalis, 32
Realis, Localis. Hæc divisio licèt non reperiatur in Jure Canonico his terminis, eam tamen *Lancell. l.* 2. *tit.* 22. *de immun. Eccles.* & alii Canonistæ admittunt. Ejus quoq; divisionis mentionem facit Concilium Provinciale Coloniense part: 9. c. 20. his verbis: *Immunitas Ecclesiastica . . in duobus potissimùm sita est: Primum, ut Clerici, illorumq; possessiones & Bona, à vectigalibus, & tributis, aliisq; muneribus Laicis, libera sint.* (en, Personalis, & Realis) . . *Deinde ne Rei criminis ad Ecclesias confugientes, inde violenter extrahantur*: (en Localis.

Juxta hanc triplicem Immunitatis Ecclesiasticæ divisionem, præsens Dissertatio tribus constabit Partibus.

PARS I.

De Immunitate Ecclesiastica Personali.

IMmunitas Ecclesiastica Personalis est Privilegium, 33
quod Personis Ecclesiasticis attributum est, ne oneribus afficiantur. Cùm autem in Jure Canonico, duplex Privilegium inveniatur, aliud Privile-

gium

gium Canonis, quo securitati, & indemnitati Personarum Ecclesiasticarum provisum est per singularem Censuram, latam in Percussores Clericorum. Aliud Privilegium Fori, quo Clericis exemptio à Jurisdictione Laica concessa est, cui consequenter annexa est exemptio à Tributis, Contributionibus, & aliis oneribus; de his Privilegiis agetur per Puncta.

PUNCTUM I.

De Privilegio Canonis.

84 PRivilegium Canonis, (si quis suadente 17 q 4. tale est: *Si quis suadente diabolo, hujus Sacrilegii reatum incurrerit, quòd in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat; & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.*

Ex occasione præfati Canonis, possunt præcipua hæc quæri. 1. Quæ Personæ percutientes subjiciuntur dicto Canoni. 2. Quæ Personæ gaudent Privilegio Canonis. 3. Ob quas actiones incurritur Excommunicatio. 4. An dentur aliqui casus, in quibus percussor Clerici non incurrit Excommunicationem. 5. Utrum præter summum Pontificem, possit quis absolvere à prædicta Excommunicatione.

ASSER-

ASSERTIO I.

Omnes baptizati tam Viri, quam Fœminæ, etiam impuberes, Superiores, & inferiores, Clerici & Laici, Religiosi, habentes dignitatem, (excepto solo Papa) & non habentes, dummodo hi omnes habeant usum rationis, & peccare mortaliter possint; si percutiant Clericum, incurrunt Excommunicationem citati Canonis.

§. 1.

DE Viris percutientibus Clericum, quòd incurrant excommunicationem, clarè patet ex Canone. De Fœminis, probatur. C. Mulieres 6. de Senten: excom: sic habetur: *Mulieres vel aliæ Personæ, quæ sui juris non sunt* (quales sunt servi, filii familias &c.) *ab Episcopo diæcesano absolvi possunt, si manus in Clericum injecerint violentas.* Ergo hic Canon supponit, quòd mulieres percutientes Clericum, incurrant Excommunicationem. 35

De Impuberibus C. super eo 1. eod. tit. sic habetur: *Respondemus, quòd si Clerici infra puberes annos se adinvicem, aut unus alterum percusserint, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, quia eos ætas excusat.* Glossa: excusat non ab excommunicatione, sed quo ad hoc, quòd non sint mittendi ad Curiam pro absolutione. Item C. Quamvis incidens 58. eod. tit. decernitur, ut quivis percussor Clerici, S. Sedem Apostolicam adeat, *nisi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitiâ, aut inopiâ, puerili vel senili ætate, fragilitate sexûs, seu aliâ* 36

corporis impotentiâ - - retrahatur, quominus Romanum Pontificem possit adire. Item C. Pueris 60. eod. *Pueris, qui in Canonem inciderunt sententiæ promulgatæ, sive ante, sive post pubertatem postulent se absolvi, potest Diœcesanus Episcopus, absolutionis beneficium impertiri.*

37 De Clericis C. super eo. 1. supra citato immediato, habes textum. De Religiosis. C. Monach 2. eod: *Monachi verò, & Canonici Regulares, quocunq; modo se in Claustro percusserint, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, sed secundùm providentiam sui Abbatis, disciplinæ subdantur.*

38 Dixi in Assertione *Baptizati.* Nam non baptizati, nullas incurrunt Censuras, quia non subsunt Jurisdictioni Ecclesiæ. Dixi item, *excepto solo Papa.* Quia hic, nulli subjectus est Vide C. si Papa dis: 40. Dixi item: *dummodo habeant usum rationis &c.* pro solo enim peccato mortali excommunicatio major fulminatur. Utrum verò notorium Clerici Percussorem teneamur semper vitare? *Anton. Escobar S. Theol. Moral. tract.* 4. *Exam:* 2. *c.* 11. *n.* 32. *sic dicit*: Non tenemur, nisì percussio sit ejusmodi, ut nullo modo celari, & excusari possit; quod vix potest constare ante Judicis Sententiam. Nam (uti Laymanus annotat) constare debet, quòd percussio Clerici notoriè facta sit, atq; ita malitiosè, ut nulla probabili ratione à peccato mortali, & annexa Censura Canonis excusari queat.

ASSERTIO II.

Privilegiô Canonis gaudent omnes Clerici habentes etiam primam Tonsuram, nec non Conjugati, modo deferant Habitum Clericalem, deserviant alicui Ecclesiæ, & Bigami non sint. Monachi quoq; Religiosi, & Moniales, gaudent præfatô Privilegiô.

§. 1.

DE initiatis primâ Tonsurâ probatur: Tridentinum 39
Sess. 23. c 6 de Refor. *Primâ Tonsurâ initiatus - - fori Privilegiô non gaudeat, nisì Beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum, &c.* In quod caput sacra Congregatio Cardinalium in Declarat: censuit; quòd *Clerici, qui in hoc Decreto Concilii, Privilegiô fori privantur, Privilegiô Canonis non intelliguntur privati.* Ergo initiati primâ Tonsurâ, gaudent Privilegiô Canonis. C. si Judex 12. de Senten. excom: in 6. *Si Reus ipse ante deprehensionem pro Laico publicè se non gerens, deprehensus fuit in habitu Clericali, Tonsuram videlicet, & vestes deferens Clericales; nam talem debemus Clericum, (donec constet de Contrario) reputare.*

§. 2.

DE Conjugatis. Idem Tridentinum locô citatô, sic 40
dicit: *In Clericis Conjugatis, servetur Constitutio Bonifacii IX., quæ incipit, Clerici; qui cum unicis: modo hi Clerici alicujus Ecclesiæ servitio vel Ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, & Cleri-*

cali habitu, & Tonsurâ utantur. Bonifacii autem Constitutio C. Clerici, qui cum unicis. De Cleri: conjug: in 6. hæc est: *Clerici, qui cum unicis, & Virginibus contraxerunt, si tonsuram & vestes deferant Clericales, Privilegium retineant Canonis ab Innocentio Papa II. Prædecessore nostro editi in favorem totius Ordinis Clericalis.*

§. 3.

41 DE Conjugato, qui dimisit habitum, Sacra Cardinalium Congregatio in Declarat. c. cit: censuit: *Clericum Conjugatum, qui post dimissum habitum, & Tonsuram Clericalem pro delicto aliquo in Curia Laicali est citatus, & ob contumaciam condemnatus fuerit, si deinde reasumpto habitu, & Tonsurâ (modo non in fraudem) Ecclesiæ inserviat, juxta hoc Decretum non posse à Judice Laico, propter id delictum in carcerem conjici, aut personaliter adstringi:* Ex quo infero; si præfatus Clericus gaudet Privilegiô Fori, ut declarat S. Congregatio Cardin:, à fortiori gaudet Privilegiô Canonis juxta ejusdem Declarationem. *Supra citatam n. 39.*

§. 4.

42 DE Monachis, & Religiosis. C. Non dubium. 5. eod. sic dicitur. *Non dubium est, quòd hi, qui violentas Manus in Clericos, vel Canonicos, aut cujuslibet Religionis Conversos injiciunt, ex constitutione Concilii, Sententiam excommunicationis incurrunt.* Item C. Parochianos. 9. eod: *Parochianos vestros, si qui in Monachos vel Conversos præ-*

fati

fati Ordinis, violentas manus injecerint; sublatô appellationis remediô, secundùm tenorem Generalis Decreti, excommunicatos publicè nuntietis. Item C. Religioso. 21. eod: in 6. *Quamvìs autem is, qui Religionem ingreditur, Religiosus censeri cum effectu non possit, donec sit tacitè vel expressè Professus; si quis tamen violentas manus in eum injiciat, excommunicationis latæ á Canone Vinculum non evadat.*

§. 5.

DE Monialibus C. 33. eod: *De Monialibus tua á nobis* 43
Fraternitas requisivit: per quem eis sit beneficiū absolutiōis impendendū, si vel in se invicem, vel conversos, vel Conversas suas, aut Clericos etiam manus injecerint temere violentas? super hoc igitur tuæ consultationi taliter respondemus: ut per Episcopum, in cujus Diœcesi Monasteria fuerint, absolvantur.

§. 6.

DE enumeratis Personis potest quæri, utrum gau- 44
deant Privilegiô Canonis tunc, dum sunt innodatæ aliquâ Censurâ; v. g. excommunicatione &c De Clericis Excommunicatis Glossa in c. Contingit 36. de Senten: excom: citat duplicem DD. Sententiam; propendetq; in eam, quæ dicit: *Qui autem alium Clericum excommunicatum verberat, videtur secundùm hoc excommunicatus.* Idem sentiunt Sayr: de Cens. l. 2 c. 27. n. 31. Bonac. d. 2. q. 4. p. 1. Navar. c. 27. n. 79. Dian p. 5. t. 9 resol. 82. Molin: &c.

De

45 De suspensis, & interdictis Clericis idem sentiunt Abb. in c. Ecclesiæ n. 8 de immun: Eccles: Clar. § fin. q. 77. vers. sed nunquid, &c. Idem sentiunt de degradato verbaliter; secus dicendum de degradato realiter. per c. degradatio de pænis in 6. Hæreticus item formalis perdit Privilegium Canonis juxta Carrer in tract. de hæret. n. 148 Decian: tract. crimin: l 5. c. 41. n. 12. &c. Portel. in dub: Regul. v. manus violenta n. 4. etiam de Schismatico idem asserit.

§. 7.

46 Dixi in Assertione: *& Bigami non sint*: hoc ut intelligatur: Sciendum est, quòd Bigamus sit ille, qui bis conjugatus est, seu qui cum duabus successivè contraxit Matrimonium. Triplex autem est species Bigamiæ. Alia est *Bigamia vera*: alia *Interpretativa*, alia *Similitudinaria*. Bigamia *Vera* est, quando quis successivè cum duabus uxoribus Matrimonium verè, & validè contraxit, & utrumq; consumavit; sive illud Matrimonium duplex fuerit ante baptismum, sive utrumq; post baptismum; sive unum ante baptismum, & alterum post baptismum. Hinc Bigamus bigamiâ verâ non est, qui cum duabus quidem successivè, contraxit, cum neutra tamen, vel cum una tantùm consumavit. Item, nec Bigamus verè censendus est, qui cum pluribus fornicatus est, vel plures concubinas habuit. Bigamia *Interpretativa est*, quæ secundùm Ju-

ris

ris interpretationem, & fictionem bigamia dicitur; & contingit: *imo* quando quis contrahit Matrimonium cum Vidua à priori marito cognita, & consumat. *2do* cùm quis contrahit matrimonium cùm corrupta ab alio, & consumat. *3tio.* Si quis Virginem quidem duxit, cognoscat tamen eam carnaliter, postquam hæc adulterium cum alio commisit. *4to.* Si quis post primam suam conjugem maritalier cognitam, invalidè postmodum ducat aliam, affectu tamen maritali eam cognoscat. Bigamia *similitudinaria* est, quando Clericus in Sacris Ordinibus constitutus, vel Religionem Professus, Viduam vel Virginem in uxorem ducit, & cognoscit. Quamvìs autem nullum sit hujusmodi matrimonium ob impedimentum dirimens Voti Religiosi, & Ordinis Sacri, habetur tamen de Jure tanquam Bigamus propter pravam intentionem contrahendi matrimonji cum opere carnali subsecuto, ut habetur c. A nobis 7. de Bigam. non ordin. De his Bigamis est lex Ecclesiastica. *1mo.* Quod non sint ordinandi sinè dispensatione summi Pontificis; quod si ordinati fuerint, privantur executione Ordinum, ut dicitur c. 2. & 3. loco citato. *2do.* Quod priventur omni Privilegiô Clericali, tam Canonis, quam Fori, juxta c. Unic: de Bigam. in 6to: *Altercationis antiquæ dubium præsentis declarationis oraculô decidentes, Bigamos omni Privilegio Clericali declaramus esse nudatos, & coercitioni*

 fori

fori secularis addictos; consuetudine contraria non obstante: Ipsis quoq; sub anathemate probibemus deferre tonsuram, & vel habitum Clericalem.

47 De Clericis Conjugatis non Bigamis, seu qui & cum Unica & Virgine contraxerunt, quòd gaudeant Privilegiô Canonis, probatum est supra n. 40 Quòd etiam iidem Privilegiô fori gaudeant, idem Canon loco citato adductus sic dicit: *Et cùm juxta Parisiense Concilium, nullus Clericus distringi aut condemnari debeat à Judice seculari, præsenti declaramus edicto, hujusmodi Clericos conjugatos pro commissis ab eis excessibus, vel delictis, trahi non posse criminaliter, aut civiliter ad Judicium seculare; nec ab ipsis Secularibus Judicibus eos debere personaliter vel etiam pecunialiter (ne per unam viam, concedatur eisdem Judicibus, quod per aliam denegatur) ullatenus condemnari.* Sola difficultas est inter Canonistas, quinam Bigami excludantur ab omni Privilegio Clericali, an solùm Bigami verè, an etiam Bigami Interpretativè. Thom. Sanchez l. 7. de Matrim: disp: 46. n. 3. sic dicit: *Si Clericus post initum Matrimonium cum Unica, & Virgine efficiatur interpretativè Bigamus, cognoscens uxorem adulterii quantumvìs notorii ream, non ob id observans cætera requisita, perdet Privilegium Canonis, & fori; Quia conditiones petitæ d. c. Unic. ut iis Privilegiis gaudeat, inveniuntur in eo, utpote, qui Unicam & Virginem duxit. Et ita sentiunt Auferius dicens, ita decisum esse Tolossæ, & esse ex mente omnium*

mnium decisione Tolossana 64. nu: unic. &c. quem sequuntur Fagn. in c. nuper à nobis de Bigam. n. 20 & seq Pirrh. de Cleri: conjug. n. 28. Kugler n. 1247 Glossa tamen in C. citat: Unic. de Bigam. in 6; Ver 1. *Bigamos* sic habet *1. Bigamos verè vel interpretativè: ut quia duas uxores habuit, vel cum Vidua vel corrupta contraxit. Deinde, & hoc verum est de his, qui sic in Minoribus Ordinibus contraxerunt; secus si in Sacris.* Et in summa ejusdem Canonis, talis formatur Casus: *Ponamus, quod aliquis Clericus, promotus ad primam tonsuram effectus est Bigamus verè & interpretativè, quia contraxit cum duabus, vel cum una corrupta, an talis sit privatus omni Privilegio Clericali? Respondet Romanus Pontifex, quòd sic.*

ASSERTIO III.

Percutiens quocunque modo Clericum, vel detinens eum in carcere. Item, mandans percussionem Clerici, vel suo nomine factam, ratam habens, nec impediens, cùm ex justitia aut charitate sine periculo vitæ teneatur, incurrunt Excommunicationem Canonis.

§. 1.

PRobatur 1mum. C. Nuper. 29 de sentent. excom: 48 *Nuper à nobis tua discretio requisivit, quid de illis Laicis sit faciendum, qui Clericos (sine læsione tamen) in custodia detinent publica vel privata; vel etiam detrudunt in*

Vincula? - - respondemus, quòd non credimus Laicos pænam excommunicationis evadere. Non incurrit tamen excommunicationē,qui per metum absq; ulla vi vel tactu, cogit Clericum solis verbis, manere in aliqua domo. Similiter, qui obsidet domum, non ut faciat injuriam Clerico in illa existenti, sed ut justè obtineat illam. Nec incurrit excommunicationem, detinens Clericum per vim, ne aliquis eum injuriosè percutiat; aut ne ipse Clericus committat homicidium; vel ne incidat in manus hostium, &c. quia hæ actiones non sunt injuriosæ vel sacrilegæ, sed procedunt ex charitate.

§. 2.

49 PRobatur 2dum. C. Mulieres. 6. de senten: excom: §. Illi verò. Sic habetur: *Illi verò,qui non per se ipsos, sed eorum auctoritate,vel mandato,alii violenter injiciunt manus in Clericos, ad Sedem Apostolicam sunt mittendi.* C. Cùm quis 23 eod. in 6. *Cum quis absq; tuo mandato, manus injicit in Clericum tuo Nomine violentas; si hoc ratum habueris, excommunicationem latam a Canone incunctanter incurris; cùm rati habitio retrotrahatur, & mandato debeat comparari. Si verò injectio eadem tuo Nomine non sit facta, tunc licet pecces, ratam habendo eandem, non tamen propter hoc excommunicationis ullius vinculo innodaris. Cùm quis ratum habere nequeat, quod ejus nomine non est gestum.*

C. Quantæ. 47. eod. *Ne autem solos violentiæ hujusmodi auctores aliquorum præsumptio existimet puniendos, facientes,*

cientes, & consentientes pari pœnâ plectendos, catholica condemnat auctoritas; eos delinquentibus favere interpretans, qui cum possint, manifesto facinori desinunt obviare.

Noto 1. Si mandans revocavit mandatum, & 50
revocatio innotuit mandatario re integra, non mandans incurret excommunicationem, si mandatarius percusserit Clericum. Secus dicendum, si revocatio non innotuit mandatario.

Noto 2. Siquis non expresse, sed tacitè man- 51
det: v g offenssus à Clerico si dicat coram suis amicis vel famulis, se desiderare vindictam de tali injuria, prævidens, aut prævidere debens eos inde excitandos ad percutiendum Clericum; etiam hic incurrit excommunicationem secuta percussione. Argu: ex text: in cap. penul: de homicidio in 6.

Nota 3. Siquis mandavit, ut verbis tantùm 52
Clerico inferretur injuria, mandatarius verò excessit procedendo ad verbera, mandans non incurret excommunicationem. Quia mandans solùm jussit fieri actum talem, propter quem de sui natura non incurritur excommunicatio.

Noto 4 Glossa in c. *Siquis suadente*, per manus, 53
violentas, intelligit etiam pedes. Item siquis spuat, vel perfundat aqua.

§. 3.

Noto hic aliqua ex Barbosa Juris Eccl: uni. l. 1. c. 39. §. 1. de Privil. Cler. huic materiæ servientia.

54 NOto 1. Quod per injectionem manuum violentarum, significetur quævis actio injuriosa, & contumeliosa contra Personam Ecclesiasticam immediatè consistens infacto & opere, sive sit actio manibus, sive pedibus. Quamvis autem contactus physicè consideratus, levissimus sit, si tamen secundùm moralem æstimationem, sufficiat ad gravem injuriam contra honorem, & reverentiam Clerico debitam, erit satis nihilominus ad hanc censuram incurrendam. Hinc Sylo: in summa Ver: Excommunicatio 6. §. 7. tenet: capientem Clericum per capillos, eiq; dicentem: *Nisi esses Clericus, hæc & hæc facerem.* Incurrere excommunicationem Canonis. Idem tenet. Grilenzon. Consil: 82. de eo, qui Sacerdotem insultaverat cum simplici manûs injectione ad collum, & altera manu super pugione. Idem ait Graff d. est. 9. n. 132 de eo, qui accepit Clericum per vestimentum seu capucium, dicendo: *Si non esses Clericus percuterem te.*

55 Noto 2. Quòd ad incurrendam Censuram Canonis, requiratur talis actio, quæ sufficiat ad peccatum mortale. Item actio debet esse ipsam Personam Ecclesiasticam contingens, & exterior. Unde elevans manum, vel vibrans ensem contra Clericum, vel projiciens

ciens lapidem, si percussio illum non contingat, non incidit in Censuram.

Noto 3. Capientem aliquid per vim vel injuriam 56
de manibus Clerici vel corpore ejus, puta librum, pileum, aut vestem, &c. aut illam scindentem, aut frangentem, aut detinentem Clericum per vestem, ut non abeat, seu capientem frænum equi, in quo Clericus insidet, incurrere excommunicationem Canonis.

Noto 4. Incurrere in excommunicationẽ, eum, 57
qui occidit Clericum per cibum vel potum venenô infectum, nam hujusmodi actio ita est violenta, ut dissolvat compositum; & est magìs violenta & injuriosa, quàm sit injectio alapæ, &c.

Noto 5. Eum quoq; incurrere excommunica- 58
tionem, qui volentem, & Consentientem Clericum percutit, quia Clericus, ad hoc consentire nequit, cùm injuria fiat toti Ordini Clericali, ut DD. communiter deducunt ex c. *Contingit.* de Senten: excom: Ipse tamen Clericus, qui sic patitur verberari, non incurrit hanc excommunicationem ipso jure, sed per Sententiam Judicis; quia textus in d. c. utitur verbo: *Excommunicetur.*

Noto 6. Siquis, nullâ vî adhibitâ Clerico, clam 59
& per fraudem, auferat marsupium, vel vestes in lecto jacentes, non incurrit excommunicationem Canonis.

Noto 7.

60 Noto 7. Insequens Clericum, ac impellens, ita ut cadat & lædatur, incurrit excommunicationem, Gloss: V. insecutione. in c. felicis, de pæn: l. 6. Item, qui Clericum fugientem insequitur; isq; ob metum se præcipitet. Item qui Clericum à sede expellit, vel brachio violenter trahit.

ASSERTIO IV.

Dantur aliqui casus, in quibus percutiens Clericum, non incurrit Excommunicationem Canonis, qui enumerantur.

§. 1.

61 CAsus 1. Siquis ignorans Clericum esse, percutiat. Probatur. C. si verò 4. de Senten: excomm: *Si verò aliquis in Clericum nutrientem comam, manus injecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico præsentari conspectui, nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum Clericum ignoraverit.*

62 2. Si sit percussio jocosa, & ex levitate, non ex odio vel indignatione. Probatur. C. super eo verò eod: *Nec Clerici* (Glossa addit: supple. sunt excommunicati) *si sunt plenæ ætatis, & non odio, vel invidia, vel indignatione, sed levitate jocosa se ad invicem percutere contingat. Neq; Magister, si Scholarum Clericum intuitu disciplinæ vel correctionis percusserit.*

63 3. Si sit casualis percussio. Probatur. 1. C. si verò. eod: *Si verò alicujus potestatis Ostiarius, sub prætextu*

sui

ſui officii malignatus Clericum læſerit, ab Epiſcopo ſuo poteſt abſolvi, niſi fortè eundem Clericum graviter vulneraverit. Officialis verò pro injectione manuum in Clericum, non poteſt, ſinè mandato Romani Pontificis abſolutionis beneficium promereri, quia nulli Laico ſuper Clericum tanta datur auctoritas, niſi fortè turbam arcendo irruentem, non ex deliberatione, ſed fortuito caſu Clericum lædat.

4. Si Magiſter diſcipulum, Prælatus ſubditum, 64
Parens filium Clericum, causâ correctionis, & diſciplinæ percutiat. Probatur. C. cum voluntate 54. eod: Si vero ratione officii, quod in Eccleſia obtinent, aut „ etiam alii Clerici Seniores zelo devotionis pueros, „ vel adoleſcentes in Minoribus Ordinibus conſtitutos, „ turbantes Divinum Officium, & hi, qui obtentu „ Prælationis, vel Magiſterii, ſubditos, & Scholares, „ correctionis causâ leviter fortè percuſſerint, excommunicationis „ ſententiam non incurrunt. Quod & „ de his dicendum eſt, qui aliquos de familia ſua, vel „ propinquos inferiorum graduum, ſimili modo, ut „ cohibeantur à ſuis inſolentiis, & ſcientiâ bonîsq; „ moribûs informentur, duxerint corrigendos. *Vide ſupra Caſum 2.*

5. Si Judex ſecularis Clericum inventum in cri- 65
mine capiat, vel detineat in carcere ex mandato Prælati. Probatum C. ſi Clericos 15. eod: in 5. *Si Clericos tuæ jurisdictioni ſubjectos* (ſcribit Papa Epiſcopo) *propter*

 com-

commissos excessus, etiam per Laicos capi facias, & eos, ne fugiant, in carcere, postea pæna debita castingandos, includas, te, vel capientes eosdem (licet nondum appareat incorigibiles eos esse) nulla credimus excommunicatione nodari.

66 6. Si quis Clericum ter monitum ab Episcopo, ut tonsuram & habitum deferat Clericalem, non deferentem, & arma militaria gestantem, percutiat. „ Probatur. C in audientia 25. eod: Ex parte tua pro„ posita consultatio, utrum Clerici, qui arma milita„ ria, relicto habitu clericali gestare nullatenus erube„ scunt, si eis fuerit injuria corporalis illata, vel se à „ captione redemerint, illa Clericorum debeant im„ munitate gaudere, qua pro temeraria manuum in„ jectione facta in Clericum, excommunicatus quis „ ipso jure notatur, ad hæc tibi breviter responde„ mus -- hujusmodi Clerici, si à Prælatis suis tertio „ commoniti, militaria noluerint arma deponere, de „ Privilegio Clericorum subsidium aliquod habere „ non debent.

67 7. Si Clericus fuerit incorrigibilis, potest à Laicis capi, incarcerari, jussu Prælati. Probatur. C· ut „ famæ tuæ. 35. eod: Respondemus : quòd cùm „ Prælati excessus corrigere debeant subditorum, & „ publicæ utilitatis intersit, ne crimina remaneant „ impunita, & per impunitatis audaciam fiant, qui „ nequam fuerant, nequiores, non solùm possunt, sed debent

debent etiam Clericos, postquam fuerint de crimine ,,
canonicè condemnati, sub arcta custodia detinere, ,,
qui cùm sint incorrigibiles nec in Monasteriis valeant ,,
custodiri, ad similia vel pejora facile laberentur. ,,
Laici verò citra excommunicationis sententiam, ca- ,,
pere Clericos, & ad judicium trahere possunt, si o- ,,
porteat, etiam violenter, dum tamen id de manda- ,,
to faciant Prælatorum C. Præterea de Apostat. ,,
Clerici, qui relicto ordine Clericali & habitu suo, ,,
& in Apostasia tanquam Laici conversantur, si in ,,
criminibus comprehensi teneantur, per Censuram ,,
Ecclesiasticam non præcipimus liberari. ,,

8. Si sit ob justam sui defensionem percussio, cum 68
moderamine tamen inculpatæ tutelæ. Probatur 1. C. si verò. de sent. excom. *Si verò Clericum vim sibi inferentem, vi quis repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad Sedem Apostoli transmitti, si in continenti vim vi repellat; cùm vim vi repellere omnes leges, omniaq; jura permittant.* Moderamen autem inculpatæ tutelæ consistit circa hæc 1. circa modum, ut si quis esset insultatus sinè armis, non poterit se defendere armis. 2. circa tempus. Ut fiat in continenti, & illico facto insulto. Gloss. in l. 1. C. Unde vi. Nam percutiens Clericum ex intervallo ad sui defensionem, non evadit excommunicationem. 3. Circa causam, ut talis sit, & tanta propulsatio, quanta est necessitas defensionis, & non ul-

tra. Unde si Laicus percussus à Clerico, ubi timor repercussionis non adest, dictum Clericum causâ defensionis percusserit, incidet in excommunicationem Canonis: quia non esset defensio, sed vindicta; quæ Soli Judici permissa; nisi forte timeretur geminata percussio. Ita resolutum in Curia Archiep: Neapol: teste Aloy: Ricc: &c.

Reliquos casus vide C. si verò 4. de senten: excom: C. cùm non ab homine 14 C. Perpendimus. 23. eod:

§. 2.

69 EX dictis infero in particulari. 1. Pueri nondum habentes usum rationis, nec discernentes de peccato, si percutiant Clericum, non incurrunt excommunicationem.

70 2. Non baptizatus, si percutiat Clericum, nec hic incurrit excommunicationem. c. 14 de Judæ: quia excommunicatio est lex Ecclesiastica, cui non baptizati non subsunt.

71 3. Siquis percussit Petrum Clericum, volens percutere Paulum Laicum, non incurrit excommunicationem. Idem dicendum, si quis volens percutere hunc Clericum v g. Petrum, ab eo aberret, & casu, sive præter intentionem percutiat Clericum Paulum proximè adstantem, secus dicendum, si quis existimet Clericum, quem percutit, esse Petrum, cùm sit Clericus Pau-

Paulus, & ratio eſt. Tum quia tam intentio, quàm opus externum eſt injurioſum ſtatui Clericali, propter cujus reverentiam impoſita eſt excommunicatio. Tum quia percutientem nulla excuſat ignorantia, nam in hoc caſu percutiens habet intentionem percutiendi Clericum, & re ipſa percutit hunc Clericum, quamvìs credat alium eſſe Clericum. Ita apud Barbos. Covar. in c. alma mater. p. 1. §. 10 n. 15. &c. Diſparitas autem inter propoſitos caſus hæc eſt. Quia in poſteriori caſu, percutiens, voluntariè percutit hominem, quem ſcit defacto Clericum, in quo tota ratio conſiſtit, ob quam Canonis excommunicatio lata eſt. In priori autem caſu, voluntariè non percutit hominem, quem ſcit eſſe Clericum, ſiquidem ut ponimus, à Clerici intenta percuſſione aberravit, alium autem hominem non longè diſtantem, qui Clericus erat, præter intentionem percuſſit. Nam etiamſi hic fuiſſet Laicus, percutere illum noluiſſet.

4. Percutiens percuſſione levi non attingente 72
culpam mortalem, ſed ſolùm venialem, non incurrit Cenſuram. Quia ad incurrendam illam requiritur, ut percuſſio ſit peccatum mortale. Hinc ſi quis ex primo impetu, & ſubita animi paſſione injiciat manum in Clericum, poſtea adverſione orta, retrahat illam, liber eſt à Cenſura. Primi enim motus non ſunt in noſtra poteſtate.

73 5. Laicus, vel privata Persona, videns Clericum præparatum ad injuriam alterius, absente ejus Prælato, si aliàs eum compescere non potest, valet eum ligare & capere, ut ipsum consignet Episcopo suo vel Superiori. Ita Innoc: in C. si verò 4. Alciat: Abb: &c.

ASSERTIO V.

Etsi absolutio à præfata excommunicatione soli summo Pontifici sit reservata, eam tamen potest conferre Legatus à Latere.

§. 1.

74 PRobatur. C. Ad eminentiam 20 de Sent: excomm: *Tibi exstat dubium, utrum absolutionis beneficium assequantur, qui pro injectione manuum in Clericos vel alias Religiosas Personas, excommunicationem incurrerunt, & à Legatis Cardinalibus, qui à Latere Romani Pontificis destinantur pro tempore, absolvuntur, cùm iidem Legati mandatum super hoc non ostendant expressum, super quo id à te volumus observari, ut eos habeas absque omni hæsitationis scrupulo absolutos, quos constiterit à talibus beneficium absolutionis, adeptos.* Item C. ea noscitur. 13. eod: *Alios autem, sive pauperes sive divites, Sedi Apostolicæ, vel Legato ejus, ut beneficium absolutionis obtineant, necesse est præsentari.*

ASSERTIO VI.

Dantur aliqui casus, in quibus potest Episcopus, sive per se, sive per alium absolvere à præfata Excommunicatione percussorem Clerici, sive sit percussio levis, sive enormis.

§. Ante-

§. 1.

ANtequam probem aſſertionem, præmitto, tripli- 75
cem eſſe percuſſionem, *Enormem*, *Mediocrem & Levem*. *Enormis* ſeu gravis percuſſio juxta C. Cùm illorũ 32. eod eſt, quæ conjuncta eſt cum gravi leſione, vel injuria, vel cum membri mutilatione, vel cum magna ſanguinis effuſione, quæ proveniat non è naribus, ſed aliunde, vel cum magno vulnere aut ictu, quamvìs parũ ſanguinis exeat, vel valde ignominioſa attentis qualitatibus Perſonarum, & aliis circumſtantiis. Ut ſi quis impingeret alapam Epiſcopo &c. Percuſſio *Levis* dicitur, non quia Leve eſt peccatum, ſeu veniale, ſed appellatur ita reſpectu enormîs & mediocrîs, quæ ſit pugno, palma, manu, pede, digito, baculo, lapide &c. nullam læſionem ſeu ſugillationem carnium relinquens, vel quæ ſit abſq; abciſſione membri, ſinè evulſione multorum capillorum, ſinè effuſione multi ſanguinis. Percuſſio Mediocris dicitur illa, quæ eſt media inter enormem & levem; qualis eſt illa, qua dens extrahitur, vel capillorum magna copia evellitur, vel ſugillatio carnium relinquitur, &c. Dijudicare, quando ſit percuſſio levis, mediocris, vel enormis, ad Epiſcopum, vel alium prudentem virum ſpectat. Hoc præmiſſo.

Quòd ab Excommunicatione, ex levi percuſſione 76
Clerici orta poſſit abſolvere Epiſcopus, habetur C. Pervenit ad nos. 17. eod: *De his abſolvendis, qui Clericis*

non

non enormem, sed modicam & levem injuriam irrogarunt, tuæ fraternitatis arbitrio (scribit Papa Episcopo) *duximus committendum.*

§. 2.

77 ENumerantur Casus. 1. Quando imminet periculum mortis non solùm ex infirmitate, sed etiamsi quis timeat hostes, prædonem, vel crudelitatem potentis, vel sit navigaturus periculosè, aut per loca periculosa transiturus, vel obsessus in loco, in quo machinæ jaciuntur, &c. in hoc casu non solùm Episcopus, sed etiam quilibet Sacerdos ab Excommunicatione potest absolvere. Probatur C. Cùm de Cætero 11. eod: *Si habens capitales inimicitias, vel alias justas excusationes, quibus ab itinere rationabiliter excusetur, ita, quòd sine periculo, Apostolico se nequeat conspectui præsentare, licet Diæcesano Episcopo, recepto Juramento secundùm morem Ecclesiæ, sibi absolutionis gratiam impertiri. Sed est illi sub juramenti debito injungendum, ut quàm citius opportunitatem habuerit, Romanum Pontificem adeat, Mandatum Apostolicum suscepturus.* Item C. Quod de his 26. eod: *Fraternitati tuæ duximus respondendum. Quòd is, qui asserit se in Canonem latæ sententiæ incidisse, non aliter, quàm per Sedem Apostolicam, vel ejus Legatum, absolutionis potest beneficium obtinere: nisi forte sit in mortis articulo, vel paupertate, aut infirmitate: vel senectute tanta gravetur, quòd ad Ecclesiam Romanam laborem subire non valeat veniendi, vel*

ab hoc

ab hoc alio impedimento Canonico retrahatur. Cæterum ab his, in forma Sacramenti exigi consuevit, ut resumptis viribus, & opportunitate concessa, Romanam Ecclesiam in propria Persona debeant visitare.

Quod verò in articulo mortis, quilibet Sacerdos absolvere possit à quavis excommunicatione, consequenter à præfata, Concil. Trident. Seß. 14. c. 7. de pænit: dicit: *In eadem Ecclesia DEI custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atq; ideo omnes Sacerdotes, quoslibet pænitentes, á quibusvis peccatis & Censuris absolvere possunt.*

§. 3.

Casus 2dus. Si Regularis verberet Regularem 78
ejusdem Monasterii, absolvi potest à suo Prælato. Si percusserit Clericum Secularem, absolvetur ab Episcopo percussi Clerici. Quodsi percusserit Regularem alterius Claustri, absolvetur per proprium Prælatum, & ejus Prælatum, qui passus est injuriam. Probatur C. Monachi. 2. eod: *Monachi verò & Canonici Regulares, quocunq; modo se in Claustro percusserint, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, sed secundum Providentiam sui Abbatis, disciplinæ subdantur.* Glossa ait: dummodo non enormiter se percutiant, aut in Episcopum, Abbatem, vel Clericum secularem manus injiciant violentas. Item. C. cùm illorum 32. eod: *Qui, si Claustrales hujusmodi fuerint, licèt ab Alexandro Papa fuerit constitutum, quòd*

Monachi & Canonici Regulares, quocunq; modo se in claustro percusserint, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, sed secundùm providentiam sui Abbatis, disciplinæ subdantur; & si Abbatis discretio ad eorum correctionem non sufficit, providentia est Diæcesani Episcopi adhibenda, & alibi dicatur: quòd de seculo fugientes, qui religionis habitum in Monasterio receperunt, & inter cætera postmodum confitentur se tale commisisse delictum, per quod ipso actu excommunicationis Sententiam incurrerunt, sine licentia Romani Pontificis Abbas non potest, nec debet eos absolvere, quamvìs præsumptionem delinquentium debita possit animadversione punire; nos tamē in Religionis favorem, & ut evagandi materia subtrahatur, majorem eis gratiam exhibere volentes, eorū Prælatis, quòd etiā talibus absolutionis beneficiū impertiri valeant, indulgemus. Nisi excessus ipsorum exstiterit difficilis, & enormis; utpote si ad mutilationem membri, vel effusionem sanguinis, est processum; aut in Episcopum, aut Abbatem, violenta manus injecta; cùm excessus tales & similes, nequeant sinè scandalo præteriri. Si verò Claustralis aliquis in Religiosam Personam alterius Claustri manus injecerit violentas, per Abbatem proprium & ejus, qui passus est injuriam, absolvatur. Item C, Canonica 50. eod: *Canonica constitutione cavetur, quòd Monachi, & Canonici Regulares, quocunq; modo se percusserint, non sunt ad Apostolicam Sedem mittendi, sed secundùm discretionem & providentiam sui Abbatis disciplinæ subdantur. Nos ergo ad vos statutum hujusmodi duximus extendendum, auctori-*

auctoritate prædicta statuentes, ut in tali casu (nisi Majoris sit providentia requirenda) per Priorem Vestrum, qui (sicut audivimus) Presbyter esse debet, Fratribus vestris, absolutionis beneficium impendatur. Item C. Religioso. 21. eod: in 6. *Religioso, qui manus violentas in Clericum secularem injecit, (ne hoc prætextu habeat materiam evagandi) poterit ab Episcopo, eo casu absolutionis beneficium exhiberi.* Id est: Etsi Religiosus percutiens enormiter Clericum secularem, deberet adire S. Sedem Apostolicam vel Legatum pro absolutione, potest tamen absolvi ab Episcopo, ne habeat occasionem vagandi.

Casus 3. Si Clerici Collegialiter seu in Com- 79
muni viventes, se mediocri percussione afficiant, vel enormi, absolvi possunt ab Episcopo. C. Quoniam 9 de vit. & honest. Cleric: *Indulgemus etiam, ut si quisquam eorum, qui simul vivunt, pro manus injectione in socium, à communione meruerit fieri alienus, reconciliandi, & pænitentiam imponendi, potestatem plenariam habeatis, (scribit Greg. VII. Episcopo) nisi forte atrocitas facti, graviorem pænam exspectet.*

Casus 4. Mulieres cujuscunq; fuerint ætatis, 80
conditionis imò & Moniales, percutientes Clericum, aut se ad invicem, ab Episcopo absolvi possunt. Vide C. Mulieres 6. de Sent: excomm: n. 35. & C. de Monialibus. 33 eod n. 43.

Casus 5. Pueri impuberes, qui doli capaces 81
sunt

ſunt, ſenes, impotentes ad conficiendum iter, pauperes, percuſſores Clericorum ab Epiſcopo abſolvi poſſunt. De Pueris vide n. 36. Reliquum probatur C. Ea noſcitur 13. de Sent: excomm: *Conſultationi tuæ taliter duximus reſpondendum: quod Mulieres, Senes, ſeu valetudinarii, ſeu membrorum deſtitutionibus impediti, licèt ad Apoſtolicam Sedem non veniant, ab Epiſcopis valeant fidelium communioni reſtitui.*

§. 4.

82 Circa præfatos Caſus, Noto. Quòd, qui abſoluti ſunt ab Epiſcopo propter impedimentum perpetuum, illis non ſit injungendum præceptum præſentandi ſe S. Sedi Apoſtolicæ; quia impoſſibile injungeretur. Si verò fuerit impedimentum temporale, hi tenentur ſe præſentare S. Sedi Apoſtolicæ, vel ejus Legato, ſublato impedimento. Ita habetur C. Ea noſcitur cit: im. n: *Si verò infirmitatis tempore, timore mortis beneficium fuerit abſolutionis indultum, juramentò præſtitò injungatur eiſdem, ut poſtquam ſanitati fuerint reſtituti, ad Romanam Eccleſiam, vel ejus Legatum accedant, Mandatum Apoſtolicum ſuper talibus recepturi.* Item C. quòd de his. 26. eod: cit: n. 77. Item C. eos qui 22. eod: in 6. *Eos, qui á ſententia Canonis, vel hominis, cùm ad illum, à quo aliàs de jure fuerant abſolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum pro abſolutionis beneficio habere recurſum, ab alio abſolvuntur, ſi ceſ-*

ſante

ſante poſtea periculo, vel impedimento hujusmodi, ſe illi, à quo his ceſſantibus, abſolvi debebant, quàm citò commodè poterunt, contempſerint præſentare, mandatum ipſius ſuper illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, & ſatisfacturi, prout juſtitia ſuadebit; Decernimus (ne ſic Cenſuræ illudant Eccleſiaſticæ) in eandem ſententiam recidere ipſo jure.

§. 5.

QUæres. In qua forma, à percuſſore Clerici præſtandum ſit Juramentum, cùm abſolvitur ab Excommunicatione? ℞. C. Ex tenore 10. de Senten: excom: talis forma præſcribitur: *Mandamus itaq́, quatenus recepto ab eo juramento, quòd tuo debeat mandato parere, ipſum vice noſtra, à ſententia, qua tenetur, abſolvas, ſibiq́ in virtute juramenti præcipias, ne de cætero in Clericum, Monachum, vel alicujus Religionis Converſum, manus injiciat violentas: niſì ſe defendendo, aut de mandato ſuorum fecerit Prælatorum; vel niſì ſuper eum Prælationis Miniſterium aut Magiſterium habeat, aut cùm ipſo in eadem Eccleſia Socius eſſe noſcatur.* 83

Etiam ſatisfactio debet fieri, ſi quæ injuria contra Juſtitiam Clerico à Percutiente illata, juxta C. Ea noſcitur citat. n. 81. *Ab Epiſcopis valeant fidelium communioni reſtitui, ſatisfacto juxta facultates, his, quibus per eos conſtiterit injurias irrogatas.* Item C. eos qui cit. n. 82. ſtatuimus - - *Vt - injuriam, ſeu his, quibus propter hoc obligati exiſtunt, ſatisfactionem exhibeant competentem.* 84

Pun-

PUNCTUM II.

De Privilegio Fori.

85 CUm Privilegium Fori in hoc consistat, quòd Clerici sint liberi à Jurisdictione Laicali, tam in Criminalibus, quàm in Civilibus, ita ut ad forum seculare citari non possint, nec statutis Laicorum obligari, ex hac occasione possunt quæri hæc: 1. Jurisdictio Laicorum unde habeatur, & ad quos se extendat. 2. Andetur suprema Potestas tam Spiritualis, quàm Temporalis. 3. Spiritualis Potestas an sit in Regibus. 4. Utrum Clerici teneantur Legibus Civilibus de solvendis Tributis, de comparendo coram Judice seculari. 5. Utrum Statuta Laicorum contra Immunitatem Ecclesiasticam lata, sint valida? 6 Utrum statuentes aliquid contra libertatem Ecclesiasticam incurrant aliquas censuras Ecclesiasticas. &c. &c.

ASSERTIO I.

Principatus Politicus, si debito modo introductus est, justus & legitimus est. Ejus jurisdictio habetur immediatè à DEO in ipsa communitate perfecta politica, ex hominibus congregata. Seu in corpore politico Communitatis, mediatè verò a DEO habetur in ipsis Monarchis, Regibus, Principibus, loquendo de lege ordinaria.

§ 1. Pro-

§. 1.

PRobatur 1mum. Quia Principatus Politicus (qui in hoc consistit, ut in communitate humana servetur civilis Societas, pax, concordia, charitas, per administrationem Justitiæ) jure naturæ introductus est, quia introductus est ad exigentiam naturæ humanæ. Homo enim ex natura propensus est ad civilem Societatem, & exigit conservationem vitæ suæ, quæ haberi non potest sinè concordia, charitate, pace, justitia. Porro pax & justitia stat per gubernatorem, seu talem, qui habet potestatem præcipiendi, dirigendi, legem ferendi, ac criminosos coërcendi & puniendi. Hæc potestas politica, seu Regimen potest esse vel in Una Persona singulari, & dicetur regimen *Monarchicum*; vel in pluribus permodum unius supremi Consilii, seu Tribunalis ex pluribus Primatibus coaliti, & erit regimen *Aristocraticum*; vel in toto populo: eritq; regimen *Democraticum*. Si itaq; Principatus politicus, jure naturæ introductus est, eum esse justum & legitimum, est necesse. Item in Sacra Scriptura, principatus politicus, laudatur, & commendatur. Sapien. 6. *Rex Sapiens, stabilimentum populi est.* Et Proverb: 29. *Rex, qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus firmabitur in æternum.* S. Paulus Tito scribit. c. 3. *Admone illos Principatibus & potestatibus subditos esse.* S. Petrus 1. Ep. c. 2. *DEum timete, Regem honorificate, servi subditi estote in*

te in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis. Item supra: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter DEum, sive Regi, quasi præcellenti, sive ducibus &c.* Dixi in assert: *Si debito modo introductus est*, ut excludam potestatem per tyrannidem usurpatam, hæc enim est iniqua & injusta; cùm justo titulo Dominii careat.

§. 2.

PRobatur 2dum. Cum S. Paulus adhortatus fuisset fideles, ad obediendum Principibus, illis verbis: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit:* dedit
87 rationem: *Non enim est potestas, nisi à DEO, quæ autem sunt à DEO, ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit.* Ad Rom: 13. & Prov: 8. dicit Sapientia æterna de se: *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt, per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam*: Sapien: 6. Divina Sapientia alloquitur Reges: *Audite ergo Reges & intelligite --- quoniam data est à Domino potestas vobis, & Virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur.* Daniel: c. 2. ad Nabuchodonozor dixit: *Tu Rex Regum es, & DEus cæli, Regnum & fortitudinem & imperium dedit tibi.* Item Reges & Principes in Sacra Scriptura vocantur Ministri DEI. S. Paulus loco citato ad Rom: 13. ait: *Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat; DEI enim Minister est, vindex in*

iram

iram ei, qui malum agit. Ergo Poteſtas Principis politici eſt Miniſterialis reſpectu DEI. Ergo DEUS eſt principaliter auctor hujus principatus. Item Princeps politicus habet Jus gladii in eos, qui malè agunt, juxta S. Paulum, ita ut etiam vitâ illos privare poſſit. Hoc autem nullus homo propria auctoritate facere poſſet ſinè nutu Divino, cùm Solus DEus ſit Dominus vitæ hominis. Chriſtus quoq; Pilato dicenti ſibi: *Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo, dimittere te; reſpondit: Non haberes poteſtatem adverſùm me ullam, niſi tibi datum eſſet de ſuper.* Joan. 19. O quantùm itaq; illi imprudenter errant! qui ſe Dominos vitæ & necis reſpectu ſuorum ſubditorum jactabundè appellant.

§. 3.

IMmediatè probatum eſt, quòd poteſtas politica ci- 88
viliter gubernandi Rempub: ſit ab ipſo DEO; nunc probandum, quòd hæc poteſtas ſit à DEO data immediatè hominibus in perfectam Civitatem ſeu Communitatem congregatis; Monarchis verò, Regibus, Principibus mediatè; id eſt, inquantum hæc poteſtas à populo transfertur in Monarchas & Reges. Hæc aſſertio, talî probatur argumentô. Datur ſuprema poteſtas politica gubernandi civiliter, eaq; immediatè collata à DEO. Sed hæc poteſtas non eſt data à DEO immediatè ſingulis Regibus, &c. ergo immediatè da-

ta est à DEO communitati ex hominibus in unum Corpus politicum congregatæ. Minor probatur: Si præfata potestas data fuisset, à DEO, immediatè Regibus &c. deberet id constare vel ex revelatione DEI, vel ex eo, quia ejusmodi potestas esset cum natura indita Regibus, consequenter esset connaturalis Regibus. Sed nihil horum dici potest. Non primum: ostendatur enim, quando & cui DEus revelavit hanc veritatem, quòd Regibus DEus *immediatè* contulerit supremam potestatem? Item dari potestatem politicam, non in una Persona, sed in toto perfecto populo, seu corpore Communitatis, ex solo dictamine rationis naturalis agnoscitur; quia admissa Communitate congregata in unum Corpus, necessarium est, & consequens naturaliter, ut conservetur in pace, concordia, Charitate & Sociatate Civili, & hanc conservationem sui Communitas humana, ex natura sua exigit. Proinde hæc potestas cum sit quædam proprietas consequens naturam humanam, est immediatè à DEO, quemadmodum & ipsa natura humana est immediatè à DEO. Quod illustrari potest in anima rationali; quæ habet potentiam intellectivam & volitivam. Quemadmodum enim anima rationalis est immediatè à DEO, ita & potentia intellectiva & volitiva est immediate à DEO. Proportionatè quoq; de potestate morali discurrendum. Non potest etiam dici secundum, quòd pote-

potestas politica sit indita Regibus cum natura, aliàs cum illa nascerentur, atq; ab incunabulis, hæc haberetur in omnibus Regibus, quod dici non potest de iis, qui per liberam populi electionem eliguntur.

Jus itaq; naturale dat per se & immediatè Com- 89
munitati potestatem, non tamen absolutè præcipit, ut in illa semper maneat, neq;, ut per illam semper immediatè exerceatur hæc potestas, sed solùm, quamdiu eadem Communitas aliud non decreverit; vel etiam ab aliquo potestatem habente alia mutatio legitimè facta non fuerit. Proinde perfecta Communitas, jure naturæ libera est, & nulli homini extra se subjicitur, sed tota in se habet potestatem, quam si à se non alienaverit, erit Regimen Democraticum; quodsi eandem potestatem à se vel in unam Personam, vel in Senatum transtulerit, erit gubernatio vel Monarchica, vel Aristocratica.

§. 4.

ID totum, quod hactenus dictum est, Constat ex 90
l. 1. ff. de Constit: Princip. ubi dicitur: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem, utpote cum lege Regia, quæ de Imperio ejus lata est, populus ei, & in eum omne suum imperium & potestatem contulerit.* Nomine autem *Legis Regiæ* non intelligitur Lex à Rege lata, sed lex lata à populo de Regia potestate & ejus Imperio, quomodo Communitatem gubernare debeat. Ita Glossa & DD.

 ex-

exponunt. Idem habetur, l. 2. ff. de Origi: Juris Civil: in qua describitur, quomodo à Condita Urbe Roma, gubernatio Reipublicæ Romanæ inceperit. Ex hac lege aliqua excerpo: *Et quidem initio Civitatis nostræ,* (id est Romanæ) *populus sine certa lege, sine certo jure primum agere instituit.* Id est vivere incepit. Postea, omnia arbitrio Regis à populo electi gubernabantur *Aucta* enim *ad aliquem modum Civitate, ipse Romulus traditur populum in triginta partes divisisse, quas partes Curias appellavit, propterea, quòd tunc Reipub: curam per sententias earum partium expediebat; & ita leges quasdam, & ipse Curiatam ad populum tulit &c. Exactis deinde Regibus, lege Tribunitia, omnes leges exoleverunt, iterumq; cæpit Populus Romanus incerto magis jure, & consuetudine aliqua uti, quàm prolata lege, idq; prope viginti annis passus est.* (En Democraticum Regimen) *Postea, ne diutius hoc fieret, placuit publica auctoritate decem constitui* (en Aristocraticum Regimen) *per quos peterentur leges à Græcis Civitatibus, ut Civitas fundaretur legibus, quas in tabulis decem æneis perscriptas, pro Rostris proposuerunt, ut possent apertiùs perspici; datumq; est eis jus eo anno in Civitate summum, uti & leges corrigerent, si opus esset, & interpretarentur, neq; provocatio ab eis, sicut à reliquis Magistratibus, fieret; qui & ipsi animadverterunt aliquid deesse istis primis legibus; ideoq; sequenti anno, alias duas eisdem tabulis adjecerunt; & ita ex accidente appellatæ sunt leges duodecim tabularum &c.* His legi-

legibus, additæ sunt aliæ leges. *Et ita eodem pœne tempore tria hæc jura nata sunt: leges 12. tabularum, ex his fluere cœpit Jus Civile; ex iisdem legis actiones compositæ sunt. Omnium tamen harum & interpretandi scientia, & actiones apud Collegium Pontificum erant; ex quibus constituebatur, quis quoque anno præesset privatis, & populus annis prope centum, hac consuetudine usus est. Postea cum Appius Claudius composuisset & ad formam redegisset legis actiones, Gnejus Flavius scriba ejus, Libertini filius, surreptum librum populo tradidit, & adeò gratum fuit id munus populo, ut Tribunus plebis fieret, & Senator & Ædilis Curulis. Hic liber, qui actiones continet, appellatur Jus Civile Flavianum. -- Augescente Civitate, quia deerant quædam genera agendi, non post multum temporis spatium sextus Ælius alias actiones composuit, & librum populo dedit, qui appellatur Jus Ælianum. Deinde cum esset in Civitate lex 12. tabularum, & Jus Civile, essent & legis actiones, evenit, ut plebs in discordiam cum Patribus perveniret, & secederet,* (in montem Aventinum) *sibique jura constitueret, quæ plebiscita vocantur. Mox cùm revocata esset plebs, quia multæ discordiæ nascebantur de his plebiscitis, pro legibus placuit & ea observari, lege Hortensia lata; ita factum est, ut inter plebiscita & leges species constituendi interesset, potestas autem esset eadem. Deinde quia difficile plebs convenire cœpit, populusque multò difficiliùs, in tanta turba hominum, necessitas ipsa Curam Reipub. ad Senatum deduxit. -- Novissimè evenit, ut esset necesse Reip.*

 per

per unum consuli. Nam Senatus non perinde omnes Provincias probè regere poterat. Igitur constituto Principe, datum est ei Jus (id est à populo) *ut quod constituisset, ratum esset.* (en Regimen Monarchicum) &c. *Exactis* (id est expulsis) *deinde Regibus Consules constituti sunt duo; penes quos summum jus uti esset, lege rogatum est dicti ab eo, quòd plurimùm Reipub. consulerent. Qui tamen ne per omnia Regiam potestatem sibi vindicarent, lege lata factum est, ut ab eis provocatio esset; neve possent in Caput Civis Romani animadvertere injussu* (hoc est sinè jussu) *populi; solùm relictum est illis, ut coercere possent, & in vincula publica duci juberent &c.* Ex his patet, in populo seu Communitate fuisse immediatè potestatem.

§. 5.

91 IDem ex S. Scriptura firmatur. Deutor. 17. dicitur ad populum Israëliticum, *Cum ingressus fueris terram, quam Dominus DEus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitaverisq; in illa, & dixeris, constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum Nationes; eum constitues, quem Dominus DEus tuus elegerit de numero fratrum tuorum, non poteris alterius gentis hominem, Regem facere, qui non sit frater tuus.* Ex hoc textu patet, quòd DEus designabat Personam, quæ in Regem creanda erat, populus autem eidem Personæ, dignitatem regiam ac potestatem conferebat. Ergo Populus habet ex natura rei potestatem constituendi Reges, seu suam potestatem in Reges transfundendi.

Accedit, quod S. Chryfoft: hom. 23. in Epif: ad 92
Rom. in illa Verba; *Non eſt poteſtas niſi à DEO*, dicit: *Quid dicis? omnis ergo Princeps à DEO conſtitutus eſt? iſtud non dico. Nec enim de quovis Principe mihi ſermo nunc eſt, ſed de re ipſa.* Id eſt de ipſa poteſtate. *Quod enim principatus ſint, quodq; hi quidem imperant, illi verò ſubjecti ſunt, quodq; non ſimpliciter ac temere cuncta feruntur, divinæ ſapientiæ opus eſſe dico. Propterea non dicit: Non enim Princeps eſt niſi à DEO; ſed de re ipſa diſſerit, dicens: Non enim poteſtas eſt, niſi à DEO.*

§. 6.

NOto 1. Poſtquam populus ſuam poteſtatem tran- 93
ſtulit in Regem, & Rex eam acceptavit, eo ipſo Dominium in Populum acquiſivit, nec populus Dominium Regi ſemel donatum auferre, & ſe in libertatem vindicare poteſt. Sicut ſiquis particularis homo ſuæ libertati renuntiaverit, & ſe in ſervum vendiderit, non poteſt ſe poſtea ſuo arbitrio à ſervitute eximere. Retinet tamen Populus poteſtatem in habitu, ut Navar: & Bellarm: ajunt; ita ut in certis caſibus populus poſſit licitis mediis, ſe in libertatem vindicare. v g. ſi Princeps ſuam poteſtatem in Tyrannidem verteret, illâ in manifeſtam Communitatis perniciem abutendo; totam Communitatem Catholicam ad amplectendam hæreſim cogendo &c.

Noto

94 Noto 2. Regia poteſtas ſeu Dominatio, variis modis obtineri poteſt. 1mò. Quando communitas perfecta voluntariè Regem eligit, in quem ſuam transfert poteſtatem, & in ſucceſſores ejus. Et hoc modo in Regnis ſucceſſivis Reges poſſunt dici habere poteſtatem à Populo, non per novum conſenſum, ſed vî antiquæ inſtitutionis factæ à Populo. 2*do*. Quando datur poteſtas Perſonæ ſinè carnali ſucceſſione, ſicut in Regno noſtro Poloniæ eliguntur Reges. 3*tio*. Per bellum juſtum, & tunc populus victus privatur ſua poteſtate, quam habebat, Princeps verò, qui prævaluit contra illum, verum Jus & Dominium talis Regni acquirit. Sicut capti in juſto bello, privantur libertate à Natura conceſſa, & efficiuntur veri ſervi in pænam juſtam. Quodſi contingat aliquod Regnum occupari per injuſtum bellum, tunc in principio quidem non acquiritur vera poteſtas, ſucceſſu tamen temporis, cum populus liberè conſenſerit, incipiet verum dominium & Regia poteſtas.

ASSERTIO II.

Nullus hominum habet ſupremam poteſtatem in univerſum Orbem.

§. 1.

95 PRobatur. Si aliquis hominum, iſq; Laicus haberet ſupremam poteſtatem in univerſum Orbem, deberet

beret illam habere, vel ſupernaturali & extraordinario modo, nempe à Chriſto Domino collatam, vel humano aliquo jure acquiſitam, hoc eſt vel per electionem, vel per juſtum bellum; nullo autem ex his modo, ab ullo Principe Laico habetur ejusmodi poteſtas. Non primo modo; non enim oſtendi poteſt, cui Principi Laico Chriſtus contulerit poteſtatem in univerſum orbem, quemadmodum contulit Petro in univerſam Eccleſiam, dicendo illi: *Paſce oves meas, Paſce agnos meos.* Non ſecundo modo; aliàs oſtendi deberet, quis Princeps Laicus, electus ſit in Imperatorem totius Orbis, & quis Imperator univerſum Orbem juſto bello ſibi ſubjugaverit. Patet item ex eo, quòd ſingula Regna & Principatus habeant ſingulos Reges & Principes, independentes à ſe. Ipſi quoq; ſummi Pontifices in multis SS Canonum locis recognoſcunt, quòd non uſurpent ſibi ſupremum dominium directum Jurisdictionis temporalis in univerſum Orbem. Ita Nicolaus Papa ad Michàëlem Imperatorem 96. diſt. Cum ad verum ait: *Nec Imperator, jura Pontificatûs arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium uſurpavit, quoniam - - - Chriſtus: ſic actibus propriis & dignitatibus diſtinctis, officia poteſtatis utriusq; diſcrevit.* Et C. Novit. 13. de Judiciis Innocentius III. Prælatis per Franciam conſtitutis, ſcribit: *Non putet aliqis, quod jurisdictionem Illuſtris Re-*

gis Francorum perturbare, aut minuere intendamus, cùm ipse jurisdictionem nostram, nec velit, nec debeat impedire. .. Non enim intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum spectat judicium. Et C. si duobus 7. de Appell: *Deniq; quòd quæris, si à Civili Judice ante Judicium, vel post ad nostram audientiam fuerit appellatum, an hujusmodi appellatio teneat; tenet quidem in his, qui sunt nostræ temporali jurisdictioni subjecti, in aliis verò, etsi de consuetudine Ecclesiæ teneat, secundùm Juris rigorem credimus non tenere.* Item Nicolaus Papa ad Albinum Episcopum scribit: *Sancta DEI Ecclesia, gladium non habet, nisi Spiritualem.*

§. 2.

97 ADverto tamen hìc. 1. Quod summus Pontifex in sua peculiari ditione jus gladii habeat; quemadmodum & alii Prælati Ecclesiastici in proprio territorio, alio titulo comparato gladium temporalem habere possunt.

98 Adverto 2. Quod licèt summus Pontifex non usurpet directum Dominium, & temporalem supremam Jurisdictionem, in universum Orbem; cæterum tamen Reges & Principes temporales, non solùm qua homines, sed etiam quoad Regiam potestatem, Spirituali potestati summi Pontificis sunt subjecti. Quod colligitur ex Can. 39. Concil. Nicen: *De Pontifice Romano* sic dicitur: *Ipse est primus sicut Petrus, cui data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum,*

rum, ut qui sit Vicarius Domini nostri JESV Christi, super cunctos populos, & universam Ecclesiam Christianam. Item C. Generali 25. q. 1. Adrianus Papa dicit: *Generali decreto constituimus, ut execrandum anathema sit, & veluti prævaricator Catholicæ fidei semper apud DEum reus existat, quicunq; Regum -- vel Potentûm, deinceps Romanorum Pontificum Decretorum censuram in quocunq; crediderit, vel permiserit violandam.* Item Gelasius Papa Anastasio Imperatori sic scribit: *Licet præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen Præsulibus divinarum, devotus colla submittis. --- Subdi te debere cognosce religionis Ordine.*

ASSERTIO III.

Datur in universo Orbe suprema Spiritualis potestas, veræ ac propriæ Jurisdictionis externæ, per quam possit Christianus Populus in ordine ad salutem animæ gubernari.

§. 1.

ANtequam probem 1mam partem assertionis, præ- 99
mitto duplicem esse potestatem Ecclesiasticam: aliam Ordinis; aliam Jurisdictionis. Potestas Ordinis, est facultas quædam moralis, ad cultum DEI religiosum ordinata, vel per oblationem sacrificii, vel per administrationem & dispensationem Sacramentorum, quæ ad sanctificationem fidelium sunt instituta, vel deniq; per alias quascunq; cæremonias, quæ ad ornatum sacrificii, aut Sacramentorum, convenienter

& ordinatè fieri debent. Poteſtas Jurisdictionis Eccleſiaſtica, alia eſt fori interni, alia fori externi Eccleſiaſtici. Prior eſt data à Chriſto, quæ proximè conſtituit Sacerdotes, Superiores & Judices in quodam Divino & ſecreto foro, quod in Sacramento pænitentiæ exercetur. Poſterior eſt itidem data à DEO, ad gubernandam Eccleſiam quatenus eſt quædam Respubl: Spiritualis, & Corpus Chriſti myſticum. Quæ Spiritualis vocatur, ut diſtinguatur à temporali.

100 Præmitto 2do. Fuiſſe hæreſim Marſilii Paduani, qui ferè ante ſexcentos annos, inter alias hæreſes docuit, Chriſtum, nullam Jurisdictionem ſuæ Eccleſiæ, aut Epiſcopis, aut ſummo Pontifici in Laicos vel Clericos dediſſe, qui pro poteſtate ſua poſſent præcipere aliquid, obligare ad præcepta ſervanda, & transgreſſores punire. Hunc ſequuntur moderni Hæretici & Atheiſantes, contra quos procedit præſens aſſertio. His præmiſſis.

§. 2.

101 PRobatur Aſſertio, quæ cùm de Fide ſit certa, ideo teſtimoniis S. Scripturæ probari debet. Chriſtus Dominus inſtituendo Eccleſiam ſuam militantem, priusquam eam quoad viſibilem ſuam corporalem præſentiam relinqueret, illam Petro tanquam Vicario ſuo ac ſupremo Paſtori commendavit, ac ſubinde ſupremam Spiritualem poteſtatem ad gubernandam illam, ei con-

ei contulit. Ut habetur Matth. 16 ubi Christo quærenti: *Quem dicunt homines esse Filium hominis*, cùm Petrus respondisset: *Tu es Christus Filius DEI vivi*: Christus dixit illi: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia Caro & Sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt, adversùs eam, & tibi dabo claves regni cælorum, & quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Hæc fuit promissio Christi, qui fallere non potest in promissis. Et ideo dubitari non potest, quin postea impleverit, quod tunc promisit. Et Joan. 21. dixit Christus ad Petrum. *Pasce Oves meas. - Pasce Agnos meos.* Id est, ut SS. Patres interpretantur, rege, guberna, Ecclesiam meam. Item Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus.* S Paulus de se scribit 2. ad Corinth. 13. *Ideo hæc absens scribo, ut non præsens duriùs agam secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, non in destructionem.* Hìc S. Apostolus de potestate Spirituali dicit, nam temporalem seu Regiam non habuit.

ASSERTIO IV.

Spiritualis potestas non est in Principibus Temporalibus, sed est in Pastoribus Ecclesiæ, præsertim in summo Pontifice.

 Ad

Ad hanc Jurisdictionem Spiritualem spectant omnes fideles, cujuscunq; sint potestatis, dignitatis, & status.

§. 1.

102 PRimum Probatur. Act: 20. ait Apostolus: *Attendite vobis & universo gregi; in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam DEI, quam acquisivit sanguine suo.* Hic apertè dicit, Episcopis datam esse à DEO potestatem regendi seu gubernandi Ecclesiam. S. Petrus 1. C. 5. *Sic* ad Seniores Ecclesiæ scribit: *Pascite, qui in vobis est, gregem DEI, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm DEum.* S. Paulus 1. ad Corinth: 5. dicit se habere judiciariam potestatem Spiritualem in Ecclesia: *Ego quidem absens corpore, præsens autem Spiritu, jam judicavi ut præsens, eum, qui sic operatus est,* (id est, ut uxorem patris sui quis habeat) *in nomine Domini JESU Christi --- tradere hujusmodi hominem satanæ, in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit.* Item 2. Corin: 13. *Prædixi enim vobis & prædico, ut præsens vobis, & nunc absens, iis, qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam.* Hanc Jurisdictionem & potestatem solùm Successores S. Petri & Apostolorũ habent, & non Principes temporales. Nam in testamento Novo, loco supra citato n. 74. hæc potestas promissa fuerat & data Petro, & Apostolis, qui Reges temporales non erant. Item in eodem testamento Novo non invenitur ea potestas data Regibus tempo-

temporalibus. Hinc Symmachus in Apologia contra Anastasium Imperatorem dicit: *Conferamus honorem Imperatoris, cùm honore Pontificis, inter quos tantùm distat, quantùm ille humanarum rerum curam gerit, iste divinarum.* & infra: *Tu humana administras, ille tibi divina dispensat.* Idem sensit Constantinus Magnus, qui judicium in Nicæno Concilio inter Episcopos recusavit, dicens: *Deus vos constituit Sacerdotes; & nobis a DEO dati estis Judices, & conveniens non est, ut homo judicet DEOS, sed ille solùm, de quo scriptum est: DEus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem, DEOS dijudicat.* Quod verò ad summum Pontificem suprema potestas Spiritualis spectet, probatur id verbis Christi Domini Joan: 10. ubi dicit: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili; & illas oportet me adducere, & vocem meam audient & fiet unum ovile & unus Pastor.* Ex quo textu infero: Ergo Christus habet suum Ovile, in quo Pastor constitutus est S. Petrus & Successores ejus. Et quemadmodum unum est Ovile Christi per Orbem universum diffusum, constans ex Fidelibus, ad quod aliæ Oves, quæ non sunt ex hoc Ovili, sunt adducendæ, juxta promissionem Christi, ita necesse est unum esse Pastorem, qui in hoc Ovili omnes Oves pascat, usq; ad Consumationem mundi; qui non est alius, nisi Successor S. Petri. De successione verò summorum Pontificum, sic ait S. Augustinus in Psalmo contra partem Donati: *Numerate*

Sacer-

Sacerdotes, vel ab ipsa Petri Sede, & in Ordine illo Patrum, quis cui succeesserit, videte. Ipsa est Petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.

§. 2.

103 SEcundum Probatur. C. Quis dubitet dist. 96. *Quis dubitet Sacerdotes Christi, Regum & Principum, omniumq; Fidelium Patres & Magistros censeri? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius Patrem, discipulus Magistrum sibi conetur subjugare, & iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, à quo credit non solùm in terra, sed etiam in cælis se ligari posse & solvi.* Ibidem C. si Imperator. *Si Imperator Catholicus est (quod salva pace ipsius dixerimus) filius est, non Præsul Ecclesiæ, quod ad religionem competit, discere ei convenit, non docere. -- Ad Sacerdotes enim DEus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, non ad seculi potestates, quas, si fideles sunt Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas.* (Omnes 4. de majorit. & obedi: *Omnes Principes terræ & cæteros homines Episcopis obedire beatus Petrus præcipiebat.* Piè agnovit id Justinus Imper: in l. 4. C. de summa Trinit. & Fide Cathol. his verbis: *Nos reddentes honorem Apostolicæ Sedi, & Vestræ sanctitati, quod semper nobis in voto fuit, & est, ut decet Patrem, honorantes Vestram sanctitatem, omnia, quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre vestræ sanctitatis, quoniam nobis semper fuit magnum studium unitatem vestræ Apostolicæ Sedis & status*

sanctarum Ecclesiarum custodire. Carolus Rex Franciæ in Epistola ad Adrianum II. sic scribit: *Sanctissimo Patri Andriano, summo & universali Pontifici, Carolus DEI gratia Rex, & Spiritualis Filius vester, &c.* Et Hugo Rex Franciæ, ad Joannem Pap. XV. inter alia scribit: *Hoc ex integro affectu dicimus, ut intelligatis & cognoscatis, nos & nostros vestra nolle declinare judicia.* Plurimi quoq; alii Imperatores & Reges, hanc subjectionem suam in Spiritualibus erga sanctam Sedem Apostolicam recognoverunt; cui materiæ immorari, non est mei propositi.

§. 3.

DIces: S. Petrus 1. c. 2. dicit: *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter DEum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus,* Ergo Reges &c. habent potestatem in Spirituales. ℟. verbis Innocentii III. qui, (ut 104
habetur C. solitæ 6 de Major: & obedien:) sic scripsit Constantinopolitano Imperatori. Mirata est imperialis sublimitas, quod te nisi fuimus in nostris literis increpare: Huic autem tuæ admirationi non causam sed occasionem præbuit, quod legisti B. Petrum Apostolorum Principem sic scripsisse: subditi estote omni humanæ Creaturæ propter DEum, sive Regi tanquã præcellenti. - - Verùm si Personam loquentis, & eorum ad quos loquebatur, ac vim locutionis diligentiùs attendisses scribentis, non expressisses taliter

„ intellectum. - - Nam si per hoc quod dixit: subditi
„ estote, Sacerdotibus voluit imponere jugum sub-
„ jectionis, & eis prælationis auctoritatem auferre,
„ quibus eos subjectos esse monebat, sequeretur ex hoc,
„ quod etiam servus quilibet in Sacerdotes imperium
„ accepisset, cum dicatur: omni humanæ creaturæ.
„ Quod autem sequitur: Regi tanquam præcellenti,
„ non negamus, quin præcellat Imperator in tempora-
„ libus illos duntaxat, qui ab eo suscipiunt tempora-
„ lia; sed Pontifex in Spiritualibus antecellit; quæ
„ tantò sunt temporalibus digniora, quantò anima
„ præfertur corpori. --- Potuisses autem prærogativam
„ Sacerdoti ex eo potius intelligere, quod dictum est
„ non à quolibet, sed à DEO, non Regi, sed Sacerdo-
„ ti, non de regia stirpe, sed de Sacerdotali prosapia
„ descendenti, de Sacerdotibus videlicet, qui erant in
„ Anathot; ecce constitui te super gentes & regna,
„ ut evellas & dissipes; ædifices & plantes. - - - Ad fir-
„ mamentum igitur cæli, hoc est universalis Ecclesiæ
„ fecit DEus duo magna luminaria id est duas instituit
„ dignitates; quæ sunt Pontificalis auctoritas, & re-
„ galis potestas, sed illa quæ præest diebus, id est Spi-
„ ritualibus, major est; quæ verò carnalibus, minor;
„ ut quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pon-
„ tifices & Reges differentia cognoscatur. Hæc autem
„ si prudenter attenderet Imperatoria Celsitudo, non

face-

faceret aut permitteretConſtantinopolitanum Patri-
archam, magnum quidem & honorabile membrum
Eccleſiæ, juxta ſcabellum pedum ſuorum in ſiniſtra
parte ſedere, cùm alii Reges & Principes, Archiepi-
ſcopis ſuis (ſicut debent) reverenter aſſurgant, & eis
juxta ſe venerabilem ſedem aſſignent. - - - Nobis au-
tem in B. Petro ſunt oves Chriſti commiſſæ, dicente
Domino: Paſce oves meas, non diſtinguens inter
has oves & alias, ut alienum à ſuo demonſtraret ovili,
qui Petrum & Succeſſores ipſius, Magiſtros non re-
cognoſceret & Paſtores; ut illud tanquam notiſſimũ
omittamus, quod Dominus dixit ad Petrum, & in
Petro dixit ad Succeſſores ipſius: Quodcunq; ligave-
ris ſuper terram erit ligatum & in cælis, &c. nihil
excipiens, qui dixit: quodcunq: &c.

ASSERTIO V.

Quamvis Principes ſeculares habeant Jurisdictionem tempo-ralem in ſuis territoriis in omnes ſuos ſubditos; quibus Leges Statuere, tributa imponere, & ſimilia exercere poſſint; tamen hæc eorum Jurisdictio, ad Clericos in ſua ditione exiſtentes non extenditur; qui à Jurisdictione ſeculari ſunt exempti, Jure tam Divino, quàm humano.

§. 1.

PRima pars probata immediatè Aſſer. 1. n. 86. cui hoc 105
addo, quòd Principes ſeculares ſuam Jurisdictio-

 nem,

nem, quam habent in suos subditos, debeant exercere secundùm æquitatem & justitiam, juxta leges patrias non despoticè.

§. 2.

106 SEcunda pars, quòd in Clericos & in Ecclesiasticas Personas, nullam habeant Jurisdictionem; tali probatur ratione. Quia quælibet Persona Ecclesiastica, soli DEO dicata est, consecrata, soli DEO subjecta. Ergo in illam nullus Laicus propria auctoritate jurisdictionem sibi usurpare potest; alias injuriam faceret DEO, & fieret sacrilegus. Ita decisum est in synodo Roman. 3tia sub Symmacho Papa: C. Non placuit: 16. q. 7. *Non placuit Laicum statuendi in Ecclesia (præter Papam Romanum) habere aliquam potestatem, cui obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.* Et C. Laicis, ibid. *Laicis quamvis Religiosis, nulla de Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur attributa facultas.* Et C. siquis Principum. Ibid. *Siquis Principum vel aliorum Laicorum dispositionem seu dominationem rerum, sive possessionum Ecclesiasticarum sibi vendicaverit, ut sacrilegus judicetur.* Michàël Imperator, auctoritate propria privaverat Ignatium sede sua Constantinopolitana; hoc ubi innotuit Nicolao Papæ, sic scripsit Imperatori, ut habetur C. satis evidenter distin. 96. *Satis evidenter ostenditur á seculari potestate nec ligari prorsus, nec solvi posse Pontificem, quem constat á pio Principe Constantino -- Deum*

appel-

appellatum: nec posse DEum ab hominibus judicari manifestum est. - - His itaq; manifestè repertis, apparet Comministrum nostrum Ignatium per Imperialem tantummodo sententiam, nullo modo potuisse prorsus expelli. In cujus damnatione, quia Præsulum quoq; assensus est subsecutus, apparet id causâ fuisse patratum adulationis, non legitimæ sanctionis. S. Petrus 1. c. 5. Cum gregem suum seu fideles commendasset senioribus Ecclesiæ, testatur, quòd illi soli habeant jurisdictionem & Dominium in Clerum, insuper instruit illos, quomodo in Clerum dominari debeant, dicens: *Neq; ut turpis lucri gratiâ, sed voluntate, neq; ut dominantes in Clerum*, id est, ut S. Hieron in Epist. 3. ad Nepotianum explicat; non cum fastu & ambitione, vel supercilio dominantes in Clerum. Ergo Laici nullam habent jurisdictionem in Clerum. C, Nimis de jurejur: 30. *Nimis de jure divino quidam Laici usurpare nituntur, cum viros Ecclesiasticos nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis juramenta compellunt. Quia verò secundùm Apostolum servus suo domino stat, aut cadit, sacri auctoritate Concilii probibemus, ne tales Clerici Personis secularibus præstare cogantur hujusmodi juramenta.*

§. 3.

TErtia pars ut fundamentaliter probetur, debent duo probari. 1mum Quod Clerici poterant justè eximi à jurisdictione temporali Principum, sinè læsione 107

juris illorum? 2*dum* quòd ſint defacto exempti. Imum probatur. Exemptio Clericorum juſtè potuit fieri tribus modis. Nempe à DEO, à Pontifice, & ab Imperatore ſeu Regibus. Quòd à DEO potuerit fieri præfata exemptio, nemo negare poteſt, niſi fuerit inſanæ mentis. DEus enim eſt abſolutus Dominus vitæ, mortis, ac libertatis humanæ, ergo pro libitu ſuo poteſt uti hac poteſtate & jure. Ergo poteſt hominem, facere alterius Dominum vel Servum, ſubditum vel Superiorem, poteſt unum dominio & poteſtate privare, eamq; conferre alteri; ut videre eſt in diverſæ conditionis hominibus. Ergo poteſt quoq; quem voluerit, à poteſtate & jurisdictione alterius liberum facere & eximere. Proinde Daniel. 2. dicitur de DEO: *Ipſe mutat tempora & ætates; transfert regna & conſtituit.* Pſal. 112. *Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem, ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi ſui.* Luc. 1. *Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui; depoſuit potentes de ſede, & exaltavit humiles.* Ergo eadem facilitate potuit DEus eximere Clericos à poteſtate & dominio Principum ſecularium, eos privare poteſtate, quam in Clericos habere poterant, & eam conferre Pontifici.

§. 4.

180 QUod à Pontifice quoq; præfata Clericorum exemptio potuerat fieri juſtè & validè, ita, ut eam Principes

cipes seculares admittere teneantur & servare; ratio est. Quia cum Clerici sint electa sors DEI, & de consortio Laicorum segregati, in illos, Principes seculares nullam Jurisdictionem prætendere possunt; ac per mutationem status secularis in Spiritualem, cessarunt esse subditi Laicorum; sed constituti sunt sub potestate & Jurisdictione Vicarii Christi summi Pontificis. Si autem unus Princeps secularis, in alterius Principis subditum, non potest extendere jurisdictionem suam, multo magìs in eum, qui est jurisdictionis ipsius Christi, cui à DEO Patre data est omnis potestas tam in cælo, quàm in terra. Habetur id in Synodo Roman. S. Sylvestri. c. 7. *Pontifici verò Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, Acolythus, Exorcista, Lector, Abbas, Monachus, in omni loco repræsentent obsequium.* Id est subjecti sint: C. si Imperator. dist 96. *Non à legibus publicis, non à potestatibus seculi, sed à Pontificibus, à Sacerdotibus, Omnipotens DEus Christianæ Religionis Clericos & Sacerdotes, voluit ordinari & discuti, recipiq; de errore remanentes.* C. Ecclesiæ 10. de Cons. *Nos attendentes, quòd Laicis (etiam religiosis) super Ecclesiis & Personis Ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.* Ergo si Clerici non subsunt Laicis necesse est ut subsint Pontifici. Cum itaq; summus pontifex habeat potestatem supernaturalem (ut Suarez ait) in Clericos à Christo specialiter sibi inditam, quid

vetat

vetat dicere? quod Christus eidem dederit hanc potestatem per quandam participationem sui dominii, & potentiæ, quæ in ipso est per essentiam vel excellentiam, ut possit Clericos à Jurisdictione Principum secularium liberos & exemptos reddere. Præcipuè cùm Innocentius III. dicat: *Papa etiam sinè consensu Imperatoris eos* (id est Clericos) *potuit eximere à Jurisdictione Imperatoris per suas Constitutiones, quia cum Clerici, Spirituales res sint, & ex toto corpus suum & animam dederunt in servitium & sortem Christi, per consequens Papæ Judicio & Constitutionibus subsunt.*

§. 5.

109 QUod etiam Imperatores & Reges poterant Clericos liberos & exemptos facere à sua Jurisdictione, (supposito, quod illam in Clericos potuissent habere) tanquam certum supponunt multa Jura Civilia & Canonica, communiterq; eorum Interpretes & DD Theologi. Probatur: Rex supremus, est verus dominus, & habet liberam potestatem utendi sua jurisdictione quocunq; modo, si hic non sit intrinsecè malus, vel illi prohibitus. Sed eximere Clericos à Jurisdictione Laica, est actus dominii & ejusdem jurisdictionis voluntariæ, qui nec fuit Regibus prohibitus, nec intrinsecè malus. Ergo potuit hic actus valide & licitè fieri à quovis Rege supremo. Quòd exemptio Clericorum sit actus jurisdictionis, constat ex eo, quia exemptio est

est Privilegium, concessio autem Privilegii, est actus jurisdictionis voluntariæ. Quòd eadem exemptio non sit per se & intrinsecè mala, patet; quia tale privilegium non est contra justitiam, vel contra naturalem rationem. Cui enim nocet & præjudicat? imò in favorem est Fidei & Religionis. Item potest Rex subditum suum eximere à sua jurisdictione, potestatem in illum alteri conferendo, vel libertate eum ab oneribus, contributionibus & operis donando; vel privilegia Nobilitatis (ut in Regno nostro solet evenire) tribuendo. Cur id ipsum non poterat facere cum Clericis? Non etiam iste actus est prohibitus Regibus? ostendatur enim à quo? & quando? producatur hæc prohibitio. Dixi: *Supposito, quòd Jurisdictionem in* 110
Clericos Laici potuissent habere. Glossa enim in C. si Imperator dist. 96. Verbo *discuti*: sic habet: Ergo antequam esset aliqua constitutio (intellige sive Canonica, sive Civilis) etiam Clerici non erant de jurisdictione seculari. Unde omnes Constitutiones, quæ emanarunt, quòd Clerici non sint judicandi nisì ab Episcopis, non sunt, nisì Juris (intellige Divini) declaratio. Ex quo patet, (quòd etiam & Concila immediatè Citanda n. 111 Lateran. & Trident: supponunt) Laicos non posse habere ullam jurisdictionem in Clericos, nisì aliquo jure Divino vel Pontificio eis sit concessum.

§. 6.

111 SEcundum Punctum probatur, nempe, quòd Clerici à JurisdictioneLaicali sint exempti jure tum Divino, tum humano. Concilium Coloniense p. 9. c 20. *Immunitas Ecclesiastica, vetustissima res est Jure pariter Divino & humano introducta.* Gregor: l. 9. Epist. 32. Romano defensori Siciliæ sic scripsit: ut habetur C. 11. pervenit q 1. *Pervenit ad nos, quòd siquis contra Clericos quoslibet causam habeat, despectis eorum Episcopis, eosdem Clericos in tuo facias judicio exhiberi. Quod si ita est, quia valde constat esse incongruum, hac tibi auctoritate præcipimus, ut hoc denuò facere non præsumas, sed si quis contra quemlibet Clericum causam habuerit, Episcopum ejus adeat &c.* Item idem ad Pontificum defensorem Corsicæ: *Pervenit ad nos, quòd quidam Clericorum te illic posito, á Laicis teneantur. Quod si ita est, tuæ hoc culpæ noveris reputari, quia hoc fieri, si homo esses; non debuit.* Concil. Lateran. sub Leone X. Seſſ 9. sic dicit: *Cùm à jure tam Divino, quàm humano Laicis potestas nulla in Ecclesiasticas Personas attributa sit.* Concil. Triden. Seſſ. 25. de Refor. c. 20. dicit. *Ecclesiæ & Personarum Ecclesiasticarum immunitatem DEI Ordinatione & Canonicis sanctionibus esse constitutam.* & subdit: *Decernit & præcipit S. Synodus, Sacros Canones, & Concilia generalia omnia, nec non alias Apostolicas sanctiones in favorem Ecclesiasticarum Personarum ac libertatis Ecclesiasticæ, contra ejus Violatores editas, quæ omnia*

omnia præsenti etiam decreto innovat, exactè ab omnibus observari debere.

Plura hac de re vide Infra Asser. VI. n. 114. His præmissis genericè, in particulari jam aliqua sunt decidenda.

§. 7.

NOto 1. Quòd nullus Laicus, cujuscunq; sit dignitatis, habeat Jurisdictionem in Clericos, in iis, quæ sunt Spiritualia & Divina; (qualia sunt, Sacramenta conficere, administrare, Ordines conferre, sacra munera & obsequia obire, idoneos Ecclesiæ Ministros examinare, instituere, investire &c.) nec in præfatas functiones immiscere se possunt Laici. Constat id ex C. si quis deinceps. 16. q. 7. dicitur: *Si quis deinceps, Episcopatum vel Abbatiam de manu alicujus Laicæ Personæ susceperit, nullatenus inter Episcopos vel Abbates habeatur; nec ulla ei, ut Episcopo seu Abbati audientia concedatur. Insuper & gratiam B. Petri, & introitum Ecclesiæ interdicimus, quousq; locum, quem sub crimine tam ambitionis, quàm inobedientiæ, (quod est scelus idololatriæ) cæpit, resipiscendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus Ecclesiasticis dignitatibus constituimus. -- Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet secularium potestatum aut Personarum, investituram Episcopatuum vel alicujus Ecclesiasticæ dignitatis dare præsumpserit, ejusdem sententiæ vinculô se esse sciat obstrictum.* Ita Gregor. 112

Item Canone Apostol. 29. *Si quis Episcopus secularium Magistratuum familiaritate usus, per ipsos Ecclesiam nactus fuerit, deponitur, segregantur quoq; à communione, quicunq; cum ipso communionem habent.*

Item C. si Imperator. dist. 96. *Si Imperator Catholicus est -- habet privilegia suæ potestatis, quæ administrandis legibus publicis divinitus consecutus est; ut ejus beneficiis non ingratus contra dispositionem cælestis Ordinis nihil usurpet. Ad Sacerdotem enim DEus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad seculi potestates, quas, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ Sacerdotibus voluit esse subjectas. Non sibi vindicet alienum jus & ministerium, quod alteri deputatum est, ne contra eum tendat abrumpi, à quo omnia constituta sunt, & contra illius beneficia pugnare videatur, à quo propriam consecutus est potestatem.*

Nicolaus Papa ad Michäëlem Imper. sic scribit. C. Imperium dist 10. *Imperium Vestrum suis publicæ rei quotidianis administrationibus debet esse contentum, non usurpare, quæ Sacerdotibus Domini solùm conveniunt.*

113 Noto 2. quòd, quidquid juris & potestatis in rebus Spiritualibus habent Laici, quale est Jus Patronatûs, præsentandi, nominandi, designandi Clericos ad Beneficia, jus sepulturæ & similia, id habent ex Privilegio Ecclesiæ.

ASSER-

ASSERTIO VI.

Clerici etiam in Civilibus à Jurisdictione Principum secularium sunt exempti tam Jure Divino, quàm humano. Proinde non obligantur statutis & legibus Principum, de solvendis vectigalibus, tributis, censibus, contributionibus Capitationis, & aliis oneribus subeundis, quæ iidem Principes suis subditis imponere consueverunt.

§. 1.

PRimum probatur verbis Christi Matth. 6. *Nemo potest duobus Dominis servire, aut enim unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet.* Ergo nec Clerici possunt subesse in Civilibus tam Pontifici quàm Regi, qui possent interdum contraria præcipere, & necessarium esset, uni obedire, & alterum contemnere. v. g. Rex posset præcipere Clerico, ut militet, vel aliis actionibus occupetur; Pontifex autem eadem posset prohibere, vel alia repugnantia præcipere. Item cùm Clerici quo ad actiones Corporis debeant esse Divinis ministeriis addicti, & à secularibus negotiis abstracti, necesse est ut à Pontifice habeant Regulam & modum vivendi, operandi, & munia obeundi. Ergo non possunt simul esse sub jurisdictione Principum secularium, etiam quo ad ea, quæ ad corpus pertinent. Sicut Vasa DEO sacrata, eo ipso & ex natura rei à prophanis usibus exempta sunt; & contractus Matrimonii in Sacramentum consecratus, 114

eo ipso in forum Ecclesiasticum transit, & à seculari exemptus est.

Item. Si summus Pontifex non habet directum & immediatum Dominium in Civilibus in Laicos ut dictum n. 95. & seq à fortiori Princeps Laicus non habet dominium in Civilibus in Clericos.

§. 2.

115 QUòd Jure Divino exempti sint universaliter Clerici, probatur ex S. Scriptura. 1. Esdræ 7. Artaxerxes Rex Persarum donans filiis Isràël facultatem liberè redeundi, cum Esdra in Jerusalem, pro Sacerdotum Ministrorumq; templi libertate, tulit Decretum in hæc verba: *Vobis quoq;* (id est subditis nostris) *notum facimus de universis Sacerdotibus & Levitis & Cantoribus, & Jánitoribus Natinnæis, & Ministris Domûs DEI hujus, ut Vectigal & Tributum, & annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.*

116 Numer. 1. Jussit DEUS tolli summam universæ Congregationis Filiorum Isràël per Congregationes & Domos suas & numerari eas per turmas suas ad bellum. Tribum autem Levi prohibuit numerari, dicens ad Moysen: *Tribum Levi noli numerare, neq; pones summam eorum cum Filiis Isràël, sed constitues eos super tabernaculum testimonii, & cuncta Vasa ejus, & quidquid ad Cæremonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum, & omnia utensilia ejus, & erunt in Ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur.*

tabuntur. Poſtmodum injunxit DEUS, ut populus ſic numeratus, tributum Capitationis ſolveret, ut habetur Exodi 30. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Quando tuleris ſummam filiorum Iſràël, juxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus ſuis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recenſiti. Hoc autem dabit omnis, qui tranſit ad numerum.* Sed ad hunc numerum, Levitæ non tranſiverant, quia jure Divino prohibiti fuerant numerari; ergo à Tributo capitationis ſolvendo, jure Divino liberi erant.

Hinc Joſeph: l 3 antiqu: c. 11. dicit, quòd ideo DEus Tribum Levi noluit Numerari, quia Levitæ Sacri erant & immunes à Militia, à tributis & aliis ſecularibus muneribus. Imò ſegregati erant à populo, ut dicitur Num: 8. *Conſecrabis Levitas oblatos Domino, & ſeparabis de medio filiorum Iſràël, ut ſint mei*, nec partem habebant cum populo, cùm Nobilioris eſſent dignitatis, utpote ad Miniſterium tabernaculi à DEO deſtinati: Et propterea Levitæ non acceperunt partem in terra promiſſa, ut populus, ſed loco illius acceperunt Jura Sanctuarii, ut habetur *Num.* 18. & *Deutor.* 18. *Joſue* 13.

Geneſis 47. Joſeph cùm totam Ægypti terram 117
Regi obligaſſet & tributariam ſeu vectigalem feciſſet, Sacerdotum terram excepit, quam voluit eſſe liberam ab omni obligatione. Proinde Concil Colonienſe ſu-

pra citatum p. 110. sic dicit: *Immunitas Ecclesiasticâ vetustissima res est - - quæ in duobus potissimum sita est. Primum ut Clerici, illorumq; Possessiones & Bona, à vectigalibus & tributis, aliisq; muneribus Laicis libera sint. Nam (ut de libertate Levitarum sileamus) non temerè refert Scriptura, Pharaonem, totam terram Ægypti sibi tributariam fecisse, præter terram Sacerdotum & Possessiones, quæ à Rege traditæ fuerant eis, quas vendere non sunt compulsi, quin potius ipsis etiam statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, ut legimus* Gen. 47. Si itaq; Sacerdotes & Levitæ veteris legis, erant à temporali potestate exempti jure Divino, quis negabit idem dicendum esse de Sacerdotibus novæ legis, qui longè præstantiores sunt illis? Etiam ex novo Testamento de exemptione præfata Clericorum habeatur fundamentum.

118 Matth. 17. Cùm exactores Tributi, quod eo tempore Judæi Augusto Cæsari viritim solvebant, Petrum interrogassent: *Magister vester non solvit didrachma,* & ipse respondisset affirmando; Christus postea, ut Petrum & in eo Ecclesiam instrueret, interrogavit eum: *Quid tibi videtur Simon: Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel censum? à filiis suis, an ab alienis? & ille dixit: ab alienis;* Christus intulit: *ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare -- invenies staterem, illum sumens, da eis pro me & te.* Ex hoc textu colligitur 1mo: immunitas Christi, Petri & discipulorum ejus

à solu-

à solutione tributi; nam cùm dicit Christus: *Ut autem non scandalizemus eos.* Quasi diceret: quamvis non simus debitores Tributi, cùm simus filii Regis; ne tamen isti scandalizentur, solve pro me & pro te. Ut Hierony: Chrysost: & omnes DD. intelligunt. Et Augustinus Ser. 6. de Verbis Apostol: c. 7. de Christo ait: *Non debebat & persolvebat.* Et Ambros: in Annot: in Exod: c. 31. ait: *Non debebat filius DEI, non debebat Petrus. Sed ne scandalizentur, ait: &c.* Ideò autem dixit Christus, *ut non scandalizemus eos &c.* quia exactores Tributi; ignorabant JESUM naturalem ac verum Filium DEI, ad quam notitiam non tenebantur explicitè, præsertim cum essent Romani Gentiles. Ita Dionys. Carthus. in hunc locum. Item advertè, quòd Christus non jusserit dari tributum ex eleemosynis pauperum, & oblationibus, quarum Judas dispensator erat, sed miraculosè creavit staterem in ore piscis; ut dicit S. Hierony. Colligitur 2do. exemptio Apostolorũ ab omni potestate & subjectione Principum Laicorũ. Nam imprimis in ipso Christo, sicut ex filiatione naturali infertur immunitas à Tributo, ita infertur immunitas ab omni subjectione & jurisdictione Principũ temporaliũ; Filiatio enim sicut est ratio unius exemptionis, ita necessariò etiam est ratio alterius, quia est ratio dominationis & excellentiæ supra omnes Reges; Simili ergo modo, seu accommodata proportione intelligendum est,

S hoc

hoc Privilegium communicatum esse Petro; juxta S. Leonem P. qui inducit Christum sic dicentem ad Petrum: Tu quoq; Petra es, quia mea virtute solidaris; ut quæ mihi potestate sunt propria, sint tibi mecum participatione communia. Ideoq; ex immunitate à tributis, colligimus exemptionem ab omni subjectione & jurisdictione temporali, quæ ratione dignitatis & potestatis supra ipsos Reges, communicata est.

§. 3.

SIc in universali stabilita veritate, quòd Personæ Ecclesiasticæ, jure Divino sint exemptæ ab omni subjectione & Jurisdictione Principum temporalium, ad probandum id in particulari, nobis procedendum est.

119 Et 1mò. Quòd Clerici non obligentur Constitutionibus, statutis & legibus, à Principibus temporalibus latis, probatur. Symmachus Papa ægrotans, cùm de salute corporis desperaret, ut habetur C. Bene quidem. 96 dis. timens schisma posse contingere post mortem suam injunxit Basilio Laico, qui gerebat vices Odoacri Regis, & fuit Præfectus Urbis Romæ, ut interesset electioni successoris post mortem suam, propter schisma removendum. Tempore procedente, quidam Episcopi tractabant de electione successoris, Symmacho adhuc vivente. Quo audito Basilius congregavit Concilium, & fecit constitutionem, ne liceret electionem Papæ fieri sinè sua Præsentia; nec liceret

Papæ

Papæ alienare res Ecclesiæ, & si alienatæ essent, revocari debere, & quædam alia constituit. Symmachus reconvalescens, post mortem Basilii congregavit Synodum Romæ, ac in illa jussit in medium deferri, ea, quæ statuta fuerant à Basilio. Lecta Basilii constitutio hæc: ne sinè Consultatione Basilii celebraretur Papæ electio. *Hæc cùm legerentur, Cresconius Episcopus Civitatis Tudertinæ surgens è consessu, dixit: Hic perpendat sancta Synodus, uti prætermissis Personis Religiosis, quibus maximè curæ est de tanto Pontifice, electionem Laici in suam redegerint potestatem, quod contra Canones esse manifestum est.* -- Cùm legeretur Constitutio Basilii: *Sancimus, ne unquam prædium seu rusticum, seu urbanum, vel ornamenta aut Ministeria Ecclesiarum, quæ nunc sunt, vel quæ ex quibuslibet titulis ad Ecclesiarum jura pervenerint, ab eo, qui nunc Antistes sub electione communi fuerit ordinandus, & illis, qui futuris seculis sequentur, quocunq; titulo adq; commento alienari liceat. Si quis verò aliquid eorum alienare voluerit, inefficax atq; irritum judicetur; sitq; facienti, vel consentienti, accipientiq; anathema. Maximus Episcopus Bleranæ Ecclesiæ dixit: Modo sancta Synodus dignetur edicere, si licuit Laico homini anathema in Ordinem Ecclesiasticum dictare? aut si potuit Laicus Sacerdoti anathema dicere? & contra Canones, quod ei non competebat constituere? sancta Synodus dixit, non licuit.* Cùm legerentur sequentia: *Is, qui prædium rusticum vel urbanum Juris Ecclesiastici*

fuerit

fuerit consecutus, noverit, se nulla lege vel præscriptione munitum., &c. &c. quæ cùm lecta fuissent, acclamatum est: *Ista scriptura nullum Romanæ Civitatis potuit obligare Pontificem, quia non licuit, Laicos, statuendi in Ecclesia, præter Romanum Pontificem, habere aliquam potestatem, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi.* - - Item: *Scripturam, quæ in nostra congregatione vulgata est, nullis eam viribus subsistere manifestum est; quia nec Canonibus convenit, & à Laica Persona concepta videtur.* - - Item: *Scripturam, quæ in Sacerdotali Concilio recitata est, evidentissimis documentis constat esse invalidam, Primum, quòd contra Patrum regulas, à Laicis, quamvis Religiosis (quibus nulla de Ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi, legitur unquam attributa facultas) facta videtur. Deinde, quod nullius Præsulis Apostolicæ Sedis, subscriptione firmata docetur.* - - - Tandem *S. Synodus dixit: Nec apud nos incertum habetur, hanc ipsam scripturam nullius esse momenti. Verum tamen etiamsi aliqua posset ratione subsistere, modis omnibus in Synodali conventu providâ Beatitudinis Vestræ sententiâ, enervari conveniebat, & in irritum deduci, ne in exemplum remaneret præsumendi quibuslibet Laicis, quamvis Religiosis, vel Potentibus in quacunq; Civitate quolibet modo, aliquid decernere de Ecclesiasticis facultatibus, quarum solis Sacerdotibus disponendi indiscussè à DEO cura
120 commissa docetur.* Ex dictis noto hìc, quòd statutum Principis secularis, etiam in favorem Ecclesiæ latum,

non

non valeat; nisi ab Ecclesia fuerit approbatum, idq; ex ea ratione, quòd seculares, nullam habeant potestatem & jurisdictionem in Personas Ecclesiasticas. Constat id ex C. Ecclesia S. Mariæ 10. de Consti: ubi sic dicitur: *Nos attendentes, quòd Laicis (etiam Religiosis) super Ecclesiis & Personis Ecclesiasticis, nulla sit attributa facultas; quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi; à quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum & favorem, nullius firmitatis existit; nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Unde statutum Basilii de non alienandis prædiis rusticis vel Urbanis, ministeriis & ornamentis Ecclesiarum, illa reprobatum fuit potissima ratione; quòd auctoritate non fuit Romani Pontificis roboratum.* Item C. Quæ in Ecclesiarum 7. eodem. *Sane pervenit ad audientiam nostram, quòd Cives Tervisini constituerunt &c. Volentes igitur Ecclesiarum indemnitati consulere, Constitutionem hujusmodi & venditiones feudorum Ecclesiasticorum factas sine legitimo Ecclesiasticarum Personarum assensu, vires decernimus non habere.*

Item C. cùm Laicis 12. de reb. Eccl alien: *Dolemus in quibusdam ex illis* (i e. Laicis) *sic refrigescere charitatem, quòd immunitatem Ecclesiasticæ libertatis, quam non tantum sancti Patres, sed etiam Principes seculares Privilegiis multis muniverunt, non formidant suis constitutionibus, vel potius destitutionibûs impugnare, non solùm de alienatione feudorum, ac aliarum possessionum Ecclesiarum, & usurpatione*

tione jurisdictionum, sed etiam de mortuariis, nec non & aliis, quæ juri Spirituali annexa videntur, illicitè præsumendo. Volentes igitur super his indemnitatibus consulere Ecclesiarum, ac tantis gravaminibus providere, constitutiones & venditiones hujusmodi feudorum, seu aliorum bonorum Ecclesiasticorum, sinè legitimo Personarum Ecclesiasticarum assensu præsumptas occasione constitutionis Laicæ potestatis (cùm non constitutio, sed destitutio vel destructio dici possit, nec non usurpatio jurisdictionum) sacri approbatione Concilii decernimus non tenere, præsumptoribus per censuram Ecclesiasticam compellendis.

§. 4.

121 SEcundo. Quòd Clerici sint exempti Jure Divino & Humano à solvendis vectigalibus, Contributionibus, & Tributis capitationis, ac aliis oneribus, quæ seculares Principes suis subditis subeunda præcipiunt; probatur. C. Quia nonnulli 1. de Immun: Eccles. in 6.
„ Alexander 4 sic statuit: Quia nonnulli habentes tem-
„ porale dominium, vel potestatis gerentes officium
„ secularis, libertatem & immunitatem Ecclesiasticam
„ lædere ac minuere tanquam hominis & Privilegii
„ Ecclesiarum invidi, moliuntur, expedit, quòd per
„ diligentiam & auctoritatem Sedis Apostolicæ (quæ
„ curam habet Ecclesiarum omnium, & tutelam) con-
„ tra talium ausus & conamina, opportunum reme-
„ dium apponatur; ut Ecclesiæ ipsæ in plenitudine

Juris

Juris ſui, & libertatis integritate lætentur; ac de- „
teſtabilis malignorum audacia, & inſolentium nefa- „
ria temeritas propulſetur. Sanè intelleximus, quòd „
in Regno Franciæ, Communiæ, Scabini, ſeu Conſu „
les, & alii Domini temporales, & ii, qui jurisdictio- „
nem in ipſis Communiis, Civitatibus, caſtris, & vil- „
lis, temporalem exercent, vel quibus in illis com- „
miſſa eſt executio juſtitiæ ſecularis moleſti ſunt ni- „
mium Eccleſiis ſuper pluribus, & infeſti; & inter „
cætera nituntur & ſtudent, ut illis collectas, & tal „
lias, & alia hujusmodi eædem Eccleſiæ prætextu bo- „
norum, quæ acquiſiverunt, tribuant, & perſolvant, „
vel extra manum ſuam ponant hujusmodi acquiſita. „
Volentes itaq; ſuper his omnibus, prout expedit, „
ſollicitè providere, totq; temerariis auſibus, congruis „
præſidiis obviare, auctoritate Apoſtolica, præhabitâ „
cum Fratribus noſtris diligenti deliberatione, de- „
cernimus non licere præfatis Communiis, Scabinis & „
iis, qui in eis jurisdictionem temporalem obtinent, „
vel juſtitiam temporalem exercent, tallias & colle- „
ctas ſeu exactiones quascunq; Eccleſiis vel Perſonis „
Eccleſiaſticis imponere, vel exigere ab eiſdem pro „
domibus, prædiis, vel quibuscunq; poſſeſſionibus „
ab eiſdem Eccleſiis vel Perſonis Eccleſiaſticis legiti- „
mè hactenus acquiſitis, vel in poſterum acquirendis, „
etiamſi ipſæ Eccleſiæ vel Perſonæ, vel res hujusmodi „

ſint

„ ſint intra illorum diſtrictum, vel territorium con-
„ ſtitutæ. Nec etiam liceat illis ipſas Eccleſias vel
„ Perſonas ad diſtrahendum vel alienandum, aut ex-
„ tra manum ſuam ponendum, acquiſita jam, vel quæ
„ deinceps acquirent, aliquatenus coarctare.

122 C. Quanquam de Cenſ. in 6. Bonifacius VIII. ſic
„ ſtatuit: Quanquam pedagiorum exactiones tam
„ Jure Canonico, quàm Civili regulariter meritò ſint
„ damnatæ, tantò tamen diſtrictiùs, ne ab Eccleſiis
„ & Perſonis Eccleſiaſticis talia exigantur, prohiberi
„ oportet, quantò ſi id fiat, majoris inde transgreſſionis
„ reatus incurritur, & offenſa evidentior comprobatur.
„ Cũ igitur Eccleſiæ Eccleſiaſticæq; Perſonæ, ac res ipſarũ,
„ non ſolùm jure humano, quinimmo & Divino à ſe-
„ cularium Perſonarum exactionibus ſint immunes,
„ conſtitutionem felicis recordationis Alexandri Papæ
„ IV. Prædeceſſoris noſtri (qui ſtatuit Eccleſias, &
„ Perſonas Eccleſiaſticas, ad pedagia & guidagia pæ-
„ nitus non teneri, nec ad exhibendum vel ſolvendum
„ talia pro rebus ſuis propriis, quas non causâ nego-
„ tiandi deferunt, vel deferri faciunt, ſeu transmittunt)
„ volentes propter multorum inſolentiam & abuſum
„ pænæ adminiculo adjuvare, adjicimus diſtrictiùs in-
„ hibendo, contraria conſuetudine, quorumcunq;,
„ quæ dicenda eſt corruptela veriùs non obſtante, ut
„ nec Collegium, nec univerſitas, nec aliqua etiam
ſingu-

singularis Persona, cujuscunq; sit dignitatis, condi- „ tionis, aut status, à præfatis Ecclesiis aut Personis, „ pro Personis ipsis aut rebus prædictis, talia exigat vel „ extorqueat per se vel per alium; suo nomine vel etiam „ alieno, aut eas ad hujusmodi persolvenda compel- „ lat. Qui vero &c. Plures textus ex Jure Canonico adducentur inferiùs.

§. 5.

ETiam Lege Civili. Clerici immunes sunt à tributis. 123
Novella Frider. Imper quæ incipit: Item nulla: de Episc. & Cler. sic habet: *Item nulla communitas vel Persona publica vel privata, Collectas, vel exactiones, vel angarias, vel parangarias, Ecclesiis vel piis locis, aut Ecclesiasticis Personis imponere præsumat.*

ASSERTIO VII.

Iidem Clerici non possunt coram Judice seculari conveniri tum in Civilibus, tum in Criminalibus sub pœna excommunicationis.

§. 1.

PRobatur. C. Nullus de foro compet: *Nullus Judi-* 124
cum, neq; Presbyterum, neq; Diaconum, aut Clericum ullum, aut Minores Ecclesiæ, sine permissu Pontificis per se distringere, aut condemnare præsumat. Quod si fecerit, ab Ecclesia DEI, cui injuriam irrogare dignoscitur, tamdiu sit sequestratus, quousq; reatum suum cognoscens, emendet.

Concil. Agathenen. c. 32. *Clericum nullus præsumat ad secularem Judicem Episcopo non permittente, pulsare; sed si pulsatus fuerit, non respondeat, vel proponat, nec audeat criminale negotium in seculari judicio proponere.* C. Clericum 11. q. 1. *Clericum cujuslibet Ordinis, absq; Pontificis sui permissu, nullus præsumat ad secularem Judicem attrahere, nec Laico quemlibet Clericum liceat accusare.*

Cajus Papa ad Felicem Episcopum sic scribit: C. Nemo. 11. q. 1. *Nemo unquam Episcopum apud Judicem secularem, aut alios Clericos, accusare præsumat.* Item C. Pervenit 11. q. 1. cit. n.

125 Præter adducta jura, & plurima alia, Bulla Cænæ Domini § 14. declarat ipso facto incurrere Excommunicationem omnes illos, qui Personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus & Collegia Ecclesiarum quarumcunq; coram se, ad tribunal, audientiam, Cancellariam, Consilium, Parlamentum, præter juris Canonici dispositionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè vel indirectè, quovis quæsito colore. Vide infra n. 148.

Studio & opera Reverendissimi in Christo Patris Stanislai Karnkowski Epis: Vladislaviensis & Pomeraniæ, in unum volumen redactarum, accedit Constitutio Synod. Metropol. Eccl. Gnez. l. 2. tit. de Foro „ compet: ex antiquis: Irrefragabili constitutione san- „ cimus, ut nullus Clericus Clericum, in Civili vel Crimina-

minali causa relicto suo Pontifice, aut etiam quivis „ Laicus Clericos super Personalibus actionibus seu „ aliis causis ad forum Ecclesiæ spectantibus, relictis „ Ecclesiasticis Judicibus, ad Judices trahat seculares. „ Alioquin si Clericus fuerit, ipso jure Causam amittat; in negotio Civili & in Criminali causa, depositionis „ sententiam non evadat. Si verò Laicus fuerit, sive „ citans Actor sit, sive reus reconveniens, excommu- „ nicationis sententiam ipso facto incurrat. Judex „ verò Laicus, qui scienter ad suam præsentiam Cleri- „ cum seu Clericos citari præceperit, aut ipsos conde- „ mnare super his, quæ ad forum seculare non perti „ nent præsumpserit; nisì exceptione declinatoria fori „ proposita, legitime taliter citatos Clericos ad forum „ Ecclesiastici Judicis remiserit, cùm extunc falcem „ in messem alienam immittere convincatur, simili „ excommunicationis sententia eoipso sit constrictus. „ Et nihilominus sententiam, si quàm contra hujusmo- „ di Clericos tulerit, decernimus esse nullam. Eccle- „ siasticis verò Judicibus, districtiùs inhibemus, ne „ Laicos, ad instantiam quorumcunq; Clericorum, vel „ Laicorum, pro causis secularibus, seu mere civilibus „ ad suum Consistorium citari faciant; aut de cogita- „ tione causarum hujusmodi se aliquatenus intromit- „ tant; nisì fortè miserabilium personarũm, vel in de- „ fectu Judicis secularis. Nec è contra Judices secula- „

„ res Clericos pro quibuscunq; causis Criminalibus,
„ vel Civilibus, Personalibus, nec etiam Laicos, quo-
„ cunq; modo super rebus vel possessionibus Ecclesia-
„ rum quocunq; titulo eas possideant, ad suum Judi-
„ cium faciant evocari, vel eos audeant judicare. A-
„ lioquin tam Ecclesiasticus, quàm secularis Judex
„ metas suæ potestatis excedens, excommunicationis
„ sententia innodetur; & Actor Laicus, qui reum in-
„ debitè coram non suo Judice fatigavit, & in expensis
„ condemnetur, & super eadem causa de cætero nul-
„ latenus audiatur.

„ Quia nonnulli seculares Judices terminos pro-
„ priæ Jurisdictionis transgredientes, nec adverten-
„ tes, quòd nemo debet falcem suam mittere in mes-
„ sem alienam, homines degentes in bonis Ecclesiæ in
„ præjudicium ipsarum Ecclesiarum & Personarum
„ Ecclesiasticarũ ad sua Judicia pertrahere, & pænam,
„ nisì paruerint, infligere non verentur; Ideoq; cen-
„ suimus statuendum, quòd secularium Principum,
„ Judices, Procuratores, seu Officiales quicunq; habi-
„ tantes in Bonis Ecclesiarum, ad sua Judicia nullate-
„ nus protrahant, seu judicent invitos, aut pænas ex
„ causa quacunq; infligant eisdem; sententiam majo-
„ ris excommunicationis, si secus præsumpserint, ipso
„ facto, nisì ab his cum effectu destiterint, & infra
„ unius mensis spacium exacta restituerint, incursuri.

Quòd

Quòd ad eos, qui ipſos protrahi ſeu citari procura- „
verint, duximus extendendum: ſententiæq; eorum, „
ſi quas protulerint viribus non ſubſiſtant. Quodſi „
habitatores prædictos captivaverint, ut eorum pare- „
rent judicio, locus in quo tenebuntur, Eccleſiaſtico, „
tamdiu, donec illos ab ipſa captivitate dimiſerint, „
ſubjaceat interdicto.

§. 2.

IDem Lege Civili ſtatuitur: In Auth. ſtatuimus: C. 126
de Epiſc & Cler: *Statuimus, ut nullus Eccleſiaſticam Perſonam in Criminali quæſtione vel Civili trahere ad Judicium ſeculare præſumat, contra Imperiales Conſtitutiones & Canonicas ſanctiones. Quodſi actor fecerit, à ſuo Jure cadat, judicatum non teneat, & Judex extunc poteſtate judicandi privetur.* Valentinianus, Theodoſius & Arcadius Imperat. ſic ſtatuerunt ut habetur C. Continua 11. q. 1. *Continua lege ſancimus, ut nullus Epiſcoporum, vel eorum, qui Eccleſiæ neceſſitatibus ſerviunt, ad judicia ſivè Ordinariorum, ſivè extraordinariorum Judicum pertrahatur. Habent illi ſuos Judices, nec quidquam his, publicis eſt commune cum legibus.* Iidem inquiunt: *Fas non eſt, ut Divini Muneris Miniſtri, temporalium poteſtatum ſubdantur arbitrio.* Juſtin: Conſt. 123. *Si Eccleſiaſticum negotium ſit, nullam communionem habeant Civiles Magiſtratus, cum ea diſceptatione, ſed Religioſiſſimi Epiſcopi ſecundùm Sacros Canones, negotio finem imponunto, ſive controverſia ſit de jure Eccleſiaſtico, ſive de quibuslibet aliis rebus.*

§. 3.

§. 3.

127 EAdem evocatio Personæ Spiritualis ad Judicem secularem, in Statuto Regni nostri Poloniæ prohibita est secularibus. Nam Sigismundus Rex Poloniæ Anno 1543. postquam omnes Causas, de quibus Judices Spirituales cognoscere debent (præmisso priùs Consilio Synodi Generalis) exposuisset, pœnam quoq; in eos, qui Ecclesiasticas Personas ad forum seculare pertrahere præsumerent, constituit his verbis: *Similiter etiam, si quis secularis Spiritualem ad jus seculare terrestre pro his articulis judicio Spirituali pertinentibus evocaret, talis etiam debet condemnari in pœna 14. Marcarum. Nihilominus per hanc constitutionem nostram, nolumus ut in aliquo derogetur juribus & Privilegiis Spiritualium, in statutis descriptis, hoc est, ne in illis hoc mutaretur vel destrueretur, quod est plus in illis scriptum, quam hæc constitutio habet.* Ita in statuto Regni li:2. par. 6. tit. 1. n. 7. Reperiuntur tamen in eodem stat: quatuor Casus, in quibus Causæ Spiritualium juri terrestri subsunt, enumeranturq; loco cit. n. 5. *Spirituales pro bonis, sive injurijs bonorum juri communi subjectorum, jure Terrestri experiantur. Injuriæ sunt: super limitibus: Kmetonibus fugitivis: cæde: & vulneribus. Alias juxta statuta Joannis Alberti Regis.* Idem habetur in Constit. Synod. Prov. Gnes. li 2. fol. 120 his verbis: *Spirituales autem pro Bonorum suorum terrestrium, Juri communi Regni subjectorum, dominio & proprietate,*

ac pro

ac pro injuriis supra scriptis in statuto Regni expressis, jure terrestri Regni experiantur. Injuriæ autem sunt juxta statutum Joannis Alberti & Alexandri Regum, super limitibus, Colonis fugitivis, capite occisi & vulneribus. Si autem Persona Ecclesiastica secularem in casu aliquo ex 4. proximè supra scriptis ad Judicium Spirituale citaverit, pœna 14. Marcarum per Ordinarium suum irremissibiliter puniatur.

§. 4.

DE hoc Privilegio Exemptionis Clericorum, noto 1. 128
quod illud fuerit immediatè jure Divino concessum Clericis, & postea à jure Canonico stabilitum, tandem à jure Civili, acceptum per ordinem ad subditos suos Laicos. Noto 2. quòd nulli Clerico libe- 129
rum sit renuntiare dicto Privilegio, subjiciendo se Judici Laico. Quia hoc Privilegium datum est, non privatis personis, sed toti Ordini Clericali. Ut habetur C. si diligenti 12. de for. compet: *Manifestè patet, quod non solum inviti (i. e. Clerici) sed etiam voluntarii pacisci non possunt, ut secularia Judicia subeant, cum non sit hoc beneficium personale, cui renuntiari valeat, sed potius toti Collegio Ecclesiastico publicè sit indultum, cui privatorum pactio derogare non potest.*

Noto 3. Quòd Clerici non possint conveniri co- 130
ram Judice seculari, hoc intelligendum est, quando sunt rei, seu ad litem provocati. Nam si Clerici sint Actores, sequi debent forum Rei; ut statuit Pelagius

Papa

Papa C. Experientia, & C. si quispiam. 11. q. 1. allegans generalem Regulam utriusq; Juris, *quòd Actor sequitur forum Rei.* Si causa sit mere Civilis, & non Spiritualis, vel annexa Spirituali. Sed de hac re tra-
131 ctare fusè, non est hujus loci, Noto 4. Quòd statuta Imperatorum (quorum primus fuerat Constantinus M.) lata in favorem Ecclesiæ, dirigebantur immediatè, ad subditos suos, ne illi imitati Antecessorum suorum tyrannidem, Ecclesiam & Spirituales persequerentur. Præscripseruntq; Gubernatoribus Provinciarum & Civitatum, quàm reverentiam Ecclesiæ & Clero præstituri essent; neve Jura eorum læderent.
132 Noto 5. Quòd judicare de Censibus Ecclesiasticis, sit solius Fori Ecclesiastici, non secularis, juxta Constitutionem Synodalem, quæ habetur Lib. 2 cit. Constit. Synod. Metropol. Eccles: Gnesn: Provin: tit: *De Foro competenti.* Causæ ad Forum & ad Judicium Ecclesiasticum pertinentes. Petri Gamrati. Petricoviæ Anno 1541. estq; talis.

Sacro Sancta Synodus, satisfaciendo votis & desideriis statûs secularis, & instantiæ eorum, in Comitiis præteritis, desuper factis, causas omnes ad Forum & Judicium Ecclesiasticum pertinentes, in Corpore Juris Canonici clausas, & quæ communiter in Judiciis Ecclesiasticis practicantur, quas causas pro more veteri Reverendissimi Domini Archiepiscopus & Episcopi. se defensuros strenuè promiserunt, Synodaliter descripsit.

scripsit. Causæ autem merè Spirituales sunt hæ: Fides Catholica, Hæresis &c. --- Item causæ merè Spirituales, sunt maleficia, incantationes, sortilegia, raptus, & violentiæ Ecclesiasticæ, ac quorumcunq; censuum perpetuorum, qui terreni, & conditionalium, qui Widerkaffy vulgo appellantur, *ac dotium, sive agrorum Plebanalium, & aliorum Sacerdotiorum, qui vulgo Poświętne nominantur; præsertim in quorum possessione Ecclesiæ & Ecclesiasticæ Personæ fuerunt à tempore diuturno, & præscripto, &c.* Et statutum Regni tit: *Quas causas Judices Spiritualium cognoscent.* à Joan. Felice Herbult: citatum. *Item ad Iudicium Spirituale judicare pertinet Incantationes, & Magias, Census Ecclesiasticos terrestres & temporales, Reemptiones, Ecclesiarum donationes alias Poświatne.* Sigis: Cracov: 1543. Proinde nullus Judex secularis potest decernere, num in toto, num per medium solvendi sint Census Ecclesiastici; cùm hac in parte nullam Jurisdictionem habeat; nec illi contraria consuetudo (ut dictum supra) suffragari potest. Consequenter Decreta ejusmodi nulla sunt; & qui sic decreverunt, tenentur in conscientia ad restitutionem. Quando verò Spirituales, Retentores Censuum Laicos, ad Judicem secularem citant, illam Juris Regulam secuti: *Actor debet sequi Forum Rei.* Tunc Officium Judicis secularis nonnisì illud est, ut iniquum Retentorem Censuum Ecclesiasticorum, suo Decreto compellat ad satisfa-

ciendum, & reddendos Cenſus, etiam ſtatutâ in caſum contraventionis pænâ; non verò ut ultra procedat, v g inſcriptiones caſſando, cenſus ad minorem quantitatem redigendo, &c. &c Quia hac in parte (ut multoties dictum) nullam Jurisdictionem habet, nec ullo jure eam ſibi uſurpare poteſt.

ASSERTIO VIII.

Quamvìs Clerici ſint exempti ab obligatione Legum Civilium, eas tamen leges, quæ reſpiciunt bonum commune, & ad omnes Cives Reipub: regulantur, ut per illas ſervetur mutua ſocietas, nec repugnant immunitati Eccleſiaſticæ, ſed ſunt conformes juri naturali, vel Divino, vel Canonico, Clerici tenentur ſervare, non ex vi ipſarum legum, & vi coactiva, ſed ex vi directiva.

§. 1.

133 PRima pars, jam probata eſt immediata Aſſertione, & ratio eſt. Quia Princeps legem ferre non poteſt, niſi in homines ſuæ poteſtati ſubditos, nec ſua lege obligare eum, in quem jurisdictionem non habet; quoniam leges condere, & ſtatuta ponere, eſt actus Jurisdictionis *L. nulli. C. de ſentent. & interlocut*: Sed nullus Princeps Civilis, habet poteſtatem & jurisdictionem in Clericos; ut ſupra dictum; conſequens igitur eſt, quòd Clerici non obligentur Legibus Civilibus, quatenus ſunt Imperatoriæ vel Regiæ, & auctoritate Laicali conditæ.

§. 2.

§. 2.

SEcundam partem antequam probem, expono priùs, 134
quid per vim directivam, & vim coactivam intelligatur. Ille dicitur vi directiva solùm ad servandam legem teneri, qui ideò legem servat, quia ratio naturalis dictat, hanc legem esse servandam propter bonum commune, propter conformitatem cum aliis, propter mutuam Societatem, & conservandam pacem. Hac vi directiva, Legislatores tenentur ad servandas suas leges, quas tulerunt. ut Colligitur id ex C *Cum omnes de Constit.* Ille verò vi coactiva tenetur ad servandam legem, qui ita obligatur, ut si eam non servet, incurrat etiam pænas à lege præscriptas, & cogi possit ad servandam eam. Quòd sic illustro. Supponamus statutam esse à Principe Civili legem v. g. ne quis arma noctu deferat, ne aleis ludat, ne venetur certis temporibus, locis; aut certo, retis, laquei vel instrumenti genere; & in transgressores pænam statuatur: si Laicus hanc legem transgressus fuerit, peccabit contra legem Civilem, & pænâ à lege latâ puniendus erit. At Clericus si arma noctu deferat, aleis ludat, venetur, peccabit quidem contra Canones, quibus armorum usus Clericis interdicitur, ludus aleæ, & venatio clamosa, peccabit item contra jus naturale, quod præcipit in omni communitate, conformitatem, securitatem, æquitatem ac justitiam conservandam; non peccabit tamen

contra Legem Civilem, nec afficiendus erit pœnâ à lege statutâ.

135 In hâc assertione sic explicata, conveniunt omnes scriptores Catholici, ut asserit Suar: l. 4. c. 16. de Imm: Eccl: & rationem dat T. quia uniformis observantia talium legum est necessaria ad Reip: pacem, & ad servandam inter Cives æquitatem. Ergo & obligatio directiva debet esse generalis omnibus. Tum quia, posita lege justa de re ad omnes pertinente, & quæ à Clericis, decenter ac sinè speciali gravamine illorum servari potest, ratio naturalis dictat, talem legem esse servandam etiam à Clericis; turpe enim esset, si cum tota communitate, cujus pars sunt, non concordarent, in servanda lege. Ergo Clerici tenentur vi directiva ad servandas leges Civiles, quæ respiciunt bonum commune, & non repugnant Immunitati Ecclesiasticæ.

136 Hinc sequitur, quòd Clericus teneatur servare leges Civiles quæ sunt taxativæ pretii rerum vendibilium, præscriptivæ solennitatum, contractuum, emptionum, venditionum, &c. Proinde si Clericus in regno vendat frumentum ultra pretium justè à Repub: statutum, peccabit & tenebitur ad restitutionem. Si contractum, non juxta legem præscriptam faciat, non erit validus. &c. Item sequitur, quòd Clericus transgressor Legis Civilis, licèt vi legis Civilis non fiat reus pœnæ à Lege Civili statutæ, fit tamen reus pœnæ vi

juris

juris naturalis, quod omnem peccatorem, delinquentem contra Rempub: puniendum dictat, & à ſuo Epiſcopo vel Prælato pænâ affici debet. Sed quia solùm legem Divinam vel Naturalem, non verò Civilem violavit, ideò pæna arbitraria ab Epiſcopo vel Prælato puniendus eſt; neq; enim cogitur Judex Eccleſiaſticus tunc Clericum eâ pænâ punire, quæ à lege Civili in transgreſſores eſt ſtatuta. Cum Leges pænales Civiles, non extendant ſe ad Perſonas Eccleſiaſticas, omni jure à Jurisdictione Laicali exemptas.

ASSERTIO IX.

Statuta Principum ſecularium, quæ ſivè directè ſive indirectè adverſantur Immunitati Eccleſiaſticæ, aliquid circa Perſonas Eccleſiaſticas vel illarum res diſponendo ſunt nulla ac irrita, & talia de volumine Legum abradi debent.

§. 1.

PRobatur C. Adverſus 7. de Immun: Eccle: ſic habe- 137
tur. *Adverſus Conſules & Rectores Civitatum vel alios, qui Eccleſias & Eccleſiaſticos Viros talliîs ſeu collectîs & exactionibûs aliîs aggravare nituntur, volens Immunitati Eccleſiaſticæ Lateranenſe Concilium providere; præſumptionem hujusmodi ſub anathematis diſtrictione prohibuit, transgreſſores & fautores eorum excommunicationi ſubjacere præcepit, donec ſatisfactionem impenderint competentem. --- Quia verò nec ſic quorumdam malitia contra DEI Eccleſiam*

conquievit, adjicimus, ut constitutiones & sententiæ, quæ à talibus vel de ipsorum mandato fuerint promulgatæ, inanes & irritæ habeantur, nullo unquam tempore valituræ.

138 C. Gravem. 53. de Senten: excom: *Gravem venerabilis Fratris nostri Pisani Archiepiscopi recepimus quæstionem, quòd quidam Cives Pisani deputati à potestate ac populo ad statuta Civitatis edenda, in derogationem Apostolicæ Sedis & subversionem Ecclesiasticæ libertatis edere præsumpserunt, quòd si quis Clericus vel Laicus contra quemcunq; Laicum Pisanî districtûs ad Judicem Ecclesiasticum literas Apostolicas impetraverit, in mille solidis, nisì renuntiaverit literis, condemnetur, nec redditus possessionum suarum reddantur eidem, vel agri excolantur illius, sed banno potiùs subjaceant Potestatis; & infra statuerunt illi præterea, ut Clerici suis sumptibus castrum Ripæ fractæ faciant custodiri; quod si renuerint, contra eos Potestas procedere teneatur. & infra. Ideoq; Fraternitati tuæ mandamus, quatenus in Consiliarios & Officiales Civitatis ipsius nisì statuta ipsa de Capitularibus suis deleri fecerint, & idoneè, sicut exigit res caveri, quòd similia de cætero non debeant attentare, excommunicationis sententiam promulgare procures.*

139 Concilium Treverense. de Immunit: Eccle. sic habet: *Vetera statuta Prædecessorum nostrorum innovando, & extendendo, præsente nostra Ordinatione cassamus & irritamus omnia statuta & consuetudines, quæ, & quas, Civitates, Communitates & loca, Præsides, Potestates, Rectores, & Con-*

& Consules, & quæcunq; aliæ Personæ contra libertatem Ecclesiæ edere, vel servare præsumpserint, & si aliqui secundùm statuta vel consuetudines memoratas judicaverint, judicatum vigore careat, & ipsi judicantes & exequentes, ipso facto inhabiles sint ad omnem legitimum actum in Ecclesia, salvis nihilominus pœnis contra tales in Concilio generali promulgatis.

§. 14.

Bulla *Cœnæ Domini*(ut infra n 156)cum excommu- ,,140
nicationem tulisset in Violatores Immun: Eccles: ,,
soli summo Pontifici reservatam, declarat, quid facto ,,
opus sit, ut absolutio impertienda sit valida. his ,,
verbis § 24 Declarantes ac protestantes, quamcunq; ,,
absolutionem, etiam solenniter per nos faciendam, ,,
prædictos excommunicatos sub præsentibus compre- ,,
hensos, nisi prius à præmissis cum vero proposito ,,
ulterius similia non committendi, destiterint, ac ,,
quoad eos, qui cõtra libertatẽ, ut præmittitur statuta ,,
fecerint, nisi prius statuta, Ordinationes, Constitut: ,,
Pragmáticas & Decreta hujusmodi publicè revoca- ,,
verint, & ex Archivis, seu Capitularibus locis, aut ,,
libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri & cas- ,,
sari, ac nos de revocatione hujusmodi certiores fe- ,,
cerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suf- ,,
fragari.

C. Noverit. 49. de sente: excomm: *Excommunicamus* 141

omnes --

omnes--Nec non & qui de cætero servari fecerint statuta edita, & consuetudines introductas contra Ecclesiæ libertatem; nisi ea de capitularibus suis intra duos menses post hujusmodi publicationem sententiæ, fecerint amoveri.

142 Exstat Urbani VIII. huc spectans Constitutio edita Anno 1641 quæ incipit: *Romanus Pontifex in Sacra*: quæ, quia longior est, integram non adduco, aliqua materiæ præsenti servientia, ex illa excerpo. *Cum autem, ut accepimus, à nonnullis prætendebatur, quosdam ex Legatis, sive Natis, sive aliis etiam à Latere &c. aliisq; Jurisdictionem quomodolibet exercentibus, aliqua eidem Sedi aut Iurisdictioni, vel Immunitati, seu libertati Ecclesiasticæ, Ecclesiisq;, & Personis Ecclesiasticis præjudicialia præter, aut contra facultates sibi concessas, nedum fecisse, declarasse, concessisse ac decrevisse, seu alias quomodolibet disposuisse, sed etiam prædicta & quæcunq; alia eis prjudicialia à quibuscunq; aliis sive Ecclesiasticis, sive Laicis quomodolibet qualificatis, sufficientem facultatem Apostol: non habentibus, commissa & facta, oneraq; super Ecclesiis ac eorum Bonis & Juribus, earumq; fructibus absq; sufficienti facultate Apostol: imposita, transgressionesq; & excessus contra SS. Canonum dispositionem, contra Sedis Apostol: Iurisdictionem, immunitatem aut libertatem Ecclesiasticam, seu Ecclesias, vel Personas Eccles: earumq; Bona, & Iura quæcunq; quomodolibet commissos, & perpetratos, tolerasse & approbasse, vel quomodolibet permisisse, seu eisdem præjudicialibus consensisse---*

in

in prædictæ Sedis Apost: Iurisdictionis, Immunitatis, seu Libertatis Ecclesiasticæ, aliarumq; Ecclesiarum Personarumq; Ecclesiasticarum maximum detrimentum, & populorum grave scandalum, animarumq; ipsorum prætendentium, transgredientium, vel occupantium, seu usurpantium, ac in Censuris eo ipso incursis insordescentium perniciem. Propterea Nos, sicut ex onere Pastorali tenemur, indemnitati Sedis Apostolicæ consulere volentes, attendentesq;, quòd prædicti Legati Nuntii - - - Sinè speciali Papæ Mandato, nulla ,,
eidem Sedi, & Ecclesiis aliisq; prædictis præjudicia- ,,
lia unquam tacitè, vel expressè facere potuerunt, vel ,,
possunt. - - - Idcirco etiamsi prædicta omnia & singu- ,,
la eidem Sedi Apostol: Jurisdictioni vel Immunitati ,,
aut libertati Eccles: seu Ecclesiis, vel Personis Eccle- ,,
siasticis, earumq; Bonis, juribusq; ac fructibus, quo- ,,
modolibet præjudicialia, per prædictos & alios quos- ,,
cunq;, contra aut præter facultates, eis concessas, ,,
facta, eo ipso fuerint & sint nulla, & invalida; ni- ,,
hilominus abundantiori cautela uti volentes, omni- ,,
umq; & singulorum quomodolibet præjudicialium ,,
quandocunq; & à quibusvis ac ex quacunq; causa ,,
& quovis modo factorum, & gestorum, ac inde se- ,,
cutorum quorumcunq;, cæterorumq; hìc de neces- ,,
sitate forsan exprimendorum, ac inserendorum teno- ,,
res, etiam majores & veriores, pro plenè expressis, ,,
ac de verbo ad verbum insertis habentes, motu pro- ,,

prio, certâq; scientiâ --- *hac nostra perpetua Constitutione declaramus, omnia & singula acta, decreta, statuta, indulta, concessiones, ordinationes, declarationes, concordias & pacta, etiam Nomine ejusdem Sedis Apostol: inita --- necnon quascunq; contributiones, collectas, gabellas, militum hospitationes, decimas*, vel alias fructuum partes, aliaq;
„ onera, & gravamina quæcunq; super Ecclesiis, Mo-
„ nasteriis, & piis locis præsertim vacantibus, vel Per-
„ sonis Ecclesiasticis, earumq; vel eorum Bonis seu fru-
„ ctibus, etiam prætextu vel causâ facultatis *B*ona sta-
„ bilia acquirendi, seu retinendi, ac alias quomodo-
„ libet per Laicos præfatos, & quoscunq; alios quomo-
„ dolibet qualificatos, absq; sufficienti facultate Apo-
„ stolica, impositas & imposita, exactasq; & exacta, etiã
„ à sponte dantibus, vel contribuentibus --- Necnon re-
„ liqua omnia quotcunq; & qualiacũq; eidẽ Sedi Apost:
„ vel Jurisdictioni, Immunitati, aut libertati Eccl: seu
„ Ecclesiis vel Personis Eccles: earumq; Juribus, Bonis, &
„ fructibus quomodolibet præjudicialia per quoscunq;
„ sufficienti facultate Apost: non munitos, facta, gesta,
„ & respectivè perpetrata, *cum omnibus & singulis, quandocunq; & quomodocunq; indè secutis, & quocunq; tempore etiam longissimo executioni demandatis, ac observatis fuisse & esse ipso jure, nullas & invalidas, ac nulla & invalida, nulliusq; roboris, vel momenti, indebitaq; & illicita, ac defacto præsumptas & præsumpta. Nullumq; præjudicium ejsdem*

dem intulisse, nec inferre unquam posse --- Quinimo omnia & singula præjudicialia fuisse à SS. Canonibus, Constitutionibus Apost: & Conciliis etiam Universalib, præsertimq; à prædicta Bulla, in Cæna Domini legi solita, respectivè reprobata, ac damnata, prout etiā ad abundantiorem cautelam, *tenore præsentium, reprobamus, & damnamus*, beneplacitaq; Apost: per Prædecessores nostros & per Nos hactenus denegata fuisse declaramus; sicut etiam harum vigore denegamus, & qua tenus foret opus, omnia & singula præjudicialia prædicta, omniaq; alia, si quæ sint, irritamus, & annullamus, ac respectivè revocamus, cum inde secutis quibuscunq; præsertim intrusionibus, occupationibus, usurpationibus, & observantiis ac usibus, & consuetudinibus quantumvìs longissimis & immemorabilibus, etiam cum asserta fama Privilegii Apostol: quas & quæ, illicitas & illicita, irrationabilesq; & irrationabilia declaramus, ac pro reprobatis, illicitis, irrationabilibus, irritis & annullatis perpetuò haberi volumus, decernimusq;, & damnamus ita, quòd in posterum illa & illæ non possint unquam in judicio, nec extra judicium à quoquàm quomodolibet allegari, deduci, probari. Nec ab aliquo admitti ad quemcunq; effectum, & quatenus opus foret, adversùs illos & illa ac alia quæ cunq; quomolibet præjudicialia harum serie eandem Sedē Apost:

„ Romanamq; Ecclesiam & Ecclesias inferiores, ac
„ Personas Ecclesiasticas quascunq; plenariè & pleniss-
„ simè ex justis Causis nobis bene visis, ac si talia nun-
„ quam exstitissent, in integrum & pristinum, in quo
„ antea erant, statum restituimus, reponimusq; ac
„ reintegramus. --- Datum Romæ apud S. Petrum
„ sub Annulo Piscatoris die 5. Junii, 1641. Pontifica-
„ tus nostri 18.

§. 2.

143 FRidericus II. Imper: in Constitutione sua de stat: & Consuet: contra libertatem Ecclesiasticam, sic dicit: *Ad decus & honorem Imperii, & laudem Romani Principis, nihil omnino magis videtur accedere, quàm ut expurgatis quibusdam erroribus & iniquis quorundam statutis penitus destitutis, de cætero Ecclesia DEI plena quiete vigeat, & secura gaudeat libertate. Sanè adeò infidelium quorundam & injustorum iniquitas abundavit, ut non dubitent contra Apostolicam disciplinam & Sacros Canones statuta sua confingere, contra Ecclesiasticas personas & Ecclesiæ libertatem. Cum ergo dispositione Divina favente nihil velit Ecclesia (quæ nihil debet præter bonum appetere) quò nobis eodem concursu & eadem non placet voluntate. Nos Fridericus Romanorum Imperator semper Augustus, hac edictali lege irritamus, & irrita nuntiamus omnia statuta & consuetudines, quæ Civitates, vel loca, potestates, Consules, vel quæcunq; aliæ Personæ contra libertatem Ecclesiæ vel Ecclesiasticas*

ſiaſticas Perſonas edere vel ſervare, adversùs Canonicas vel Imperiales ſanctiones præſumpſerint, & ea de Capitularibus ſuis mandamus, intra duos menſes poſt hujus publicationem edicti, penitus aboleri, & ſi decætero ſimilia attentaverint, ipſo jure decernimus eſſe nulla, & eos ſua jurisdictione privatos ſuperiori protinus applicanda, nec non locum, ubi deinceps talia præſumpta fuerint, banno mille Marcarum præcipimus ſubjacere. Poteſtates verò, Conſules, Rectores, Statuarii & Scriptores prædictorum ſtatutorum, nec non & Conſiliarii locorum ipſorum, qui ſecundùm ſtatuta vel conſuetudines memoratas judicaverint, ſint extunc ipſo jure infames, quorum ſententias & actus alios illegitimos præcipimus aliquatenus non tenere. Quodſi per annum hujus noſtræ conſtitutionis inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum noſtrum Imperium mandamus impune ab omnibus occupari; ſalvis nihilominus aliis pænis contra tales in generali Concilio promulgatis.

Præfatam Conſtitutionem Honorius III. Papa ac- 144
ceptavit his verbis: *Has leges à Friderico Romanorum Imperatore Filio noſtro Chariſſimo, pro utilitate omnium Chriſtianorum editas, laudamus, approbamus & confirmamus, tanquam in æternum valituras.* Vide Bull: Honor. III. Conſtit: 1. Idem Authen: Caſſa. de Sacros. Eccleſ: *Caſſa & irrita eſſe denuntiari præcipimus omnia ſtatuta, & conſuetudines contra libertates Eccleſiæ earumq; Perſonas, inductas adversùs Canonicas vel Imperiales ſanctiones, & ea de Ca-*

pitularibus penitus aboleri mandat nova Constitutio, & cætera similia attentata, ipso jure, nulla esse decernit.

146 Quodsi quæras, quænam statuta dicantur esse contra Immunitatem Ecclesiasticam? ℞. in universali. Imprimis illa statuta sunt contraria Immunitati Ecclesiasticæ, ex quibus tolluntur vel minuuntur Privilegia Ecclesiis vel Ecclesiasticis Personis à Pontifice vel alicujus Regni aut Provinciæ Superiori Magistratu concessa. Vel quando Clerici impediuntur facere ea, quæ sunt ipsis concessa à Communi Jure. Vel quando statuta decernunt, ut Ecclesia, Clerici, ipsorumq; subditi subjiciantur servituti & publicis functionibus. Vel quando per statuta hujusmodi Clerici efficiuntur timidiores, Laici autem audentiores ad nocendum Clericis, vel illos affligendos, licèt nulla mentio Clericorum per expressum in statutis fiat. *L. 1. §. Quæ honorandæ ff. Quarum rerum actio non datur.* Item, quando statuta Laicorum specificè disponunt de Bonis vel Personis Ecclesiasticis. Etiamsi commodum & favorem earum concernant; si hæc fiant sinè consensu Jurisdictionis Ecclesiasticæ.

ASSERTIO X.

In particulari nullus Princeps secularis, vel Magistratus, vel Respublica potest statuere, ut Clerici tributa purè personalia (qualis est Census, seu Capitatio &c.) solvant, ut communia cum Laicis munera, sive honorifica, sive vilia, obeant,

obeant, ut arma tractent, ut Principes Legatos, milites hospitio suscipiant; ut de decimis & oblationibus tributum solvant.

§. 1.

PRobatur 1. Universaliter. Constitutio in rebus Ecclesiæ vel contra Immunitatem Ecclesiæ facta à Laicis, nulla est & invalida; ut probatum immediata assertione. *Et Gloss in C. 7. de Constit: Item Laici de rebus Ecclesiæ vel Personis Ecclesiasticis nihil disponere possunt in præjudicium Ecclesiæ. Ead. in C. 10. eod. & in multis SS. Canonum locis.* Sed præfatæ constitutiones, sunt contra Immunitatem Ecclesiasticam, item disponunt de rebus & Personis Ecclesiasticis in præjudicium Ecclesiæ, ergo sunt nullæ & invalidæ. 147

§. 2.

DE Tributo Capitationis probatur. Tributum Capitationis, quòd est purè personale, imponitur nonnisì titulo jurisdictionis in personas subjectas tali jurisdictioni, & exigitur nonnisì ratione actionum lucrosarum, quas eædem Personæ exercent, ut asseruntomnes Canonistæ. Et C. Omnis anima 2. de Censi. *Subditi esse debetis; ideo enim tributa præstatis, quia hæc est probatio subjectionis.* Sed Clerici, nulli jurisdictioni Laicali subsunt, ut supra probatum; nec exercent actiones lucrosas; ex natura enim sua, & vi status Spiritualis, dicati sunt cultui Divino, & procurandæ saluti 148

luti animarum; ordinati ſunt ad miniſteria Spiritualia, qualia ſunt, conficere & adminiſtrare Sacramenta, concionari, cultum DEI promovere, pſallere, decorem Domûs DEI procurare, DEum pro peccatis populi exorare, & ſacrificiis placare, &c. & has actiones ſuas non poſſunt ordinare ad lucra temporalia, aliàs committerent ſimoniam jure Divino & Naturali prohibitam. Ergo Spirituales ſunt liberi jure Naturali à Tributo Capitationis, de quo intelligenda ſunt Verba Chriſti ſupra Citata num: 118. ex Matth. 17., nam tributum illud, quod Cæſari ſolvebatur & vocabatur Cenſus, fuerat tributum capitationis; ut colligi poteſt ex Luc. 2. cum Cæſar juſſiſſet: *ut deſcriberetur univerſus Orbis*. Huc ſpectat teſtimonium S. Hieronym: in C. Matth. cit: *Nos pro illius honore tributa non ſolvimus, & quaſi filii Regis à vectigalibus immunes ſumus.* Et S. Aug: l. 1. quæſt. Evang. c. 23. *In omni Regno intelligendum eſt, liberos eſſe filios, id eſt non eſſe Vectigales; multo ergo magis liberi eſſe debent in quolibet Regno terreno filii Regni illius, ſub quo ſunt omnia Regna terræ.* Concilium quoq; Provi: Treverenſe de Immunit, Eccleſ: ſic habet: *Præterea ſtatuimus, quòd nullus à Perſonis Eccleſiaſticis, ſeu eorum Bonis, contra libertatem Eccleſiaſticam, pedagia, telolonia, angarias, parangarias, collectas, aut exactiones extorquere, aut imponere præſumat. quinimò ad abſtinendum ab iis & ſimilibus* (ergo & à tributo Capitationis) *&*

ad

ad restituendum, si quis aliquid extorserit, canonica monitione præmissa per Ordinarios locorum, juxta Ecclesiasticam censuram cogatur.

§. 3.

A Communibus cum Laicis muneribus exempti sunt 148
Spirituales. S. Paulus 2. ad Thimot. 2. dicit. *Nemo militans DEO, implicat se negotiis secularibus.* L. 1. C. de Episc: & Cler: præcipit Imperat: *Ne Clerici Nominationibus, seu susceptionibus aliquibus quas publicus mos exposcit, contra indulta sibi Privilegia prægraventur.* Et L. 2. *Ab omnibus omnino muneribus excusentur, ne à Divinis obsequiis avocentur.* Et L. 9 ibi: *Curialibus muneribus atq; omni inquietudine Civilium functionum exsortes Clericos esse oportet.* Et l. 10. *Repellatur ab his exactionibus munerum sordidorum.* Item l. 1. ibid. *Nullus novis collationibus vos obligabit,* (Glossa addit: *sordidorum munerum*) *sed vacatione gaudebitis, neq; hospites suscipietis.* Item L. Placet 17. ibid: *Placet ut nihil commune Clerici cum publicis actionibus, vel ad Curiam pertinentibus, cujus corpori non sunt annexi, habeant.* In jure autem Canonico integer titulus hac de re est. l. 3. Decretal: *Ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se immisceant.*

§. 4.

NE quisquam hospitetur in Domibus Ecclesiasticis 149
(ut in domibus 1 Lit: sic habetur *Ut in Domibus Ecclesiarum, neq; Missus, neq; Comes, vel Judex pu-*

 blicus,

blicus, vel Minister, quasi pro consvetudine placitum, vel hospitium vendicent, sed in publicis locis domos constituant, in quibus placitum teneant, & etiam hospitentur. Hac de re Vide Piasecki Praxis Episcopalis par. 2. c. 4. n. 56 De Exemptione Monasteriorum omniumq; piorum locorum ab onere hospitandi Milites, habetur Bulla S. Pii V. quæ incipit: Cum sicut non sinè. Nontenentur item Clerici contribuere ad illa, quæ immediatè & directè cedunt in utilitatem publicam, & mediatè tantum in utilitatem Clericorum, uti sunt reparationes Murorum, fontium, pontium, viarum publicarum &c. Less de Justitia d. 36 n. 123.

§. 5.

150 QUòd ex Decimis & oblationibus, tributum, non debet solvi, antequam probetur: aliqua præmittuntur. 1. Decimæ *sunt pars decima fructuum Ministris Ecclesiæ ob spirituale ipsorum Ministerium, iisdem debita, ex omnibus bonis frugiferis.* Proinde Decimæ quo ad substantiam spectatæ, sunt stipendium necessarium ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ debitum, quæ tum jure naturali tum divino debentur Clericis. Nam justitia præcipit, ut necessaria Vitæ tanquam debitum stipendium subministrentur illis; & Christus dixit Matth. 10. *Dignus est operarius cibo suo.* Et quemadmodum peccaret graviter, qui operarium privaret stipendo suo, ita peccant graviter contra justitiam

tiam, qui Clericis non solvunt decimas, quæ ad imitationem Divinæ Legis Veteris, sunt ab Ecclesia institutæ, & ipsi DEO dantur, ut Concil: Moguntin: C. Decimas. 16. q. 7. ait: *Decimas DEO, & Sacerdotibus DEI dandas, Abraham factis, & Jacob promissis insinuat: deinde lex statuit, & omnes Sancti Doctores commemorant.*

Oblationes sunt, quæ ad altare à Christi fidelibus Deo & Sanctis offeruntur religionis intuitu, vel ad placandum Deum pro peccatis. Ad has oblationes nullus fidelium obligatur, sunt permodum Eleemosinæ, non ab omnibus tamen fidelibus eas offerentibus sunt acceptandæ, ut habetur. C. Oblationes. dist. 90. *Oblationes dissidentium fratrum, ne in sacrario, neq; in gazophilatio recipiantur. Dona eorum, qui pauperes opprimunt, à Sacerdotibus refutanda sunt.* His præmissis probatur. 151

C. Decimas 16. q. 7. Concil: Lateran: dicit. *Decimas, quas in usum pietatis concessas esse, canonica authoritas demonstrat, à laicis possideri Apostolica authoritate prohibemus. Sive enim ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet Personis eas acceperint, nisi Ecclesiæ reddiderint, sciant se sacrilegii crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere.* Ibidem. C. Peruenit. *Pervenit ad nos fama sinistra, quòd quidam Episcoporum, non Sacerdotibus propriæ Diæcesis, decimas atq; Christianorum* 152

oblationes conferant, sed potius laicalibus personis, militum videlicet sive servitorum, vel (quod graviùs est) etiam consanguineis. Unde si quis amodo Episcopus inventus fuerit hujus Divini praecepti transgressor, inter maximos Haereticos & Antichristos non minimus habeatur. Et sicut Nicaena Synodus de Simoniacis censuit & qui dat Episcopus, & qui recipiunt ab eo laici, sive pretio, sive beneficio, aeterni incendij ignibus deputentur.

153. C. Sancitum 23. q. 8. in Concil. Vormacien: *Sancitum est ut unicuiq; Ecclesiae unus mansus integer absq; ullo servitio attribuatur, & Presbyteri in eis constituti, non de decimis, neq; de oblationibus fidelium, non de domibus, neq; de atrijs, vel de hortis juxta Ecclesiam positis, neq; de praescripto manso aliquod servitium faciant, praeter Ecclesiasticum.* Idem C. 1. de Cens. habetur.

154 Ex quibus textibus sic arguitur 1. Laici nullum habent jus ad decimas Clericorum; *Omnes* enim *decimae terrae, Domini sunt, & illi Sanctificantur.* c. 16. q. 7 Item, *quidquid semel Ecclesiae oblatum fuerit, Domini est, & ad jus pertinet Sacerdotum; unde, quicunq; Laicus, illud sibi usurpat, committit sacrilegium,* ut dicitur. C. Nulli 12. q. 1. Ergo Laici non possunt disponere de decimis Clericorum, ergo nec de illis exigere tributum, aliàs decimas facerent sibi tributarias; quod esset juris & dominij indicium. 2. Laici non possunt possidere decimas, ut deductum. Ergo nec de decimis

exi-

exigere tributum à Clericis. Nam Clerici ſolvendo tributum de decimis, partem aliquam decimarum darent Laicis, conſequenter Laici, recipiendo partem aliquam decimarum, titulo tributi, fierent illius poſſeſſores, quod eſſet contra Canones Citatos. 5. Epiſcopus, etiamſi habeat Juriſdictionem in Clericos, non poteſt aliquid de decimis conferre Laicis. Ergo à fortiori Laici nihil Juriſdictionis habentes in Clericos, non poſſunt propria authoritate aliquid de decimis ſibi uſurpare. Proinde judicent ipſimet illi qui in quibuſdam locis, Laudo publico Tributum de Decimis conſtituerant, illudq; à Clero forti executione extorſerant, utrum id rectâ conſcientiâ fecerint, & feciſſe potuerint? & utrum obligatione reſtitutionis non teneantur? Illi verò, qui impugnant decimas, vel illas dare renuunt, audiant magnum & Sanctum Doctorem in Eccleſia DEI Auguſtinum l. 50 homiliarum hom. 48 dicentem, ſibiq; dicta applicent. *Majores Noſtri, ideo copiis omnibus abundabant, quia DEO decimas dabant, & Cæſari cenſum reddebant. Modo autem quia diſceſſit devotio DEI, acceſſit indictio fiſci. Noluimus partiri cum DEO decimas, modo autem totum tollitur. Hoc tollit fiſcus, quod non accipit Chriſtus.* Citatur hic textus à Gratian. C. Majores, 16 q. 7

§. 7.

QUod concernit oblationes habetur C. Quia 10. q. 1. 155.

 q. 1.

§. 7. Sub Damaso Papa Laici Civitatis Romanæ, auferebant oblationes de altaribus, & consumebant. Damasus Papa quæsivit ex Hieronymo quid de his deberet fieri, ? S. Hieronymus respondit sic: *Quia Sacerdotes pro omnibus orare debent, quorum Eleemosynas & oblationes accipiunt, qua fronte præsumunt Laici oblationes, quas Christiani pro peccatis suis offerunt, vel comedere? vel aliis concedere? cùm ipsi non debeant ex officio suo pro populo orare. Ob hoc Papa gloriosè mittere oportet illos præsumptores in Excommunicationem perpetuam, ut & cæteri metum habeant, & ampliùs hæc in Ecclesia ne fiant.* Quamobrem Damasus Papa sic ibidẽ constituit. *Hanc consuetudinem, quæ contra S. Ecclesiam Catholicam augeri videtur, omnino interdicimus, ut nullo modo unquam oblationes quæ intra Sanctam Ecclesiam offeruntur, sub dominio Laicorum detineantur, sed tantummodo Sacerdotibus, qui quotidie Domino servire videntur, liceat comedere & bibere: quia in vetere testamento probibuit Dominus panes Sanctos comedere Filiis Israël, nisi tantummodo Aaron, & Filiis ejus, qui panes longè erant ab istis panibus, qui nunc in Sancta Ecclesia offeruntur: quia illi sub Vmbra legis erant, qui verò modò sub gratiâ Spiritûs Sancti, toto mundo Evangelio coruscante lucidiores esse videntur. Qua fronte, aut conscientiâ oblationes vultis accipere, qui vix valetis pro, vobis ne dum pro aliis DEO preces offerre? quia pravum est, & contra dominicum præceptum, & detrimentum animæ suæ infert,*

infert, qui illud agere conatur, quod ei nulla ratione conceditur. Quia omnibus Sanctis Patribus nostrisq; Prioribus placuit hanc sanctionem fieri, & nos similiter in eisdem persistere volumus, ut nullus audeat irritum facere hoc, quod constitutum est, si in perpetuâ damnatione noluerit persistere. si quis verò contra hanc Regulam Nostram & contra Regulam Sanctorum 318. *Patrum, qui in Nicæno Concilio hoc constituerunt, temerarius præsumptor fuerit, & de cætero oblationes de sacris Ecclesiis auferre molitus fuerit, sub anathematis vinculo sit colligatus & condemnatus. Responderunt omnes: fiat fiat.* Idem constituit Calixtus Papa II Ibid: *Sanctorum Patrum canonibus consona sancientes, oblationes de Sacratissimo & Reverendissimo Altari B. Petri & Salvatoris S. Mariæ Rotundæ, aut aliis Ecclesiarum altaribus sive crucibus á laicis auferri penitùs interdicimus, & sub districtione anathematis prohibemus.* Similia scribit S. Urbanus Papa M. *Ipsæ res fidelium, quæ Domino offeruntur, non debent in alios usus, quàm Ecclesiasticos & Christianorum Fratrum, vel indigentium converti: quia vota sunt fidelium, & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum.* Breviar die 25. Maij.

§. 8.

ID ipsum ratione antequam probem: Noto. Cùm Decimæ ad sustentationem Beneficiariorum spectent, & sint stipendium Ministerii Spiritualis, non modica est controversia inter Canonistas & Theologos, utrū 156.

Bene-

Beneficiarii ſint verè & propriè Domini, eorum fructuum & proventuum, quos ex beneficio percipiunt, an ſolùm uſufructuarii, vel Uſuarii tantùm. Tunc autem Beneficiarius diceretur propriè Dominus fructuum Beneficii, quando haberet liberam facultatem de fructibus ex beneficio perceptis, Nomine ſuo & auctoritate ſtatuendi, quidquid ipſe voluerit, ſivè in vita, ſive in morte. Nomine uſûsfructûs in præſenti intelligitur jus, quod habet Clericus utendi in Vita ſolùm, non in morte fructibus beneficij ſive in ſuos, ſive in alienos uſus, ſalvâ tamen beneficii ipſius ſubſtantiâ. Nomine uſus, intelligitur jus, quod habet Beneficiarius in Vita tantùm non in morte, utendi fructibus, in ſuum tantùm commodum, non verò in alienum, ſalvo quoq; & integro ipſo beneficio. Nonnulli itaq; Theologi & Canoniſtæ docent, quod Beneficiarii non ſunt ſimpliciter Domini vel uſufructuarii in hac vita, ſed nonniſi uſuarii fructuum ex beneficio perceptorum. hoc eſt. Nihil tutâ conſcientiâ ex fructibus beneficiorum poſſunt retinere ultra id, quod eſt neceſſarium ad commodam & honeſtam illorum ſuſtentationem, & quidquid ſuperfluum fuerit, in uſus pios, ſeu in uſus pauperum erogare debent, quod nisì fecerint, peccant mortaliter peccato injuſtitiæ, furtum committunt, & tenentur tam ipſi, quàm accipientes ab illis, ad reſtitutionem. Alii dicunt, quòd

Bene-

Beneficiarii habeant dominium etiam superfluorum fructuum, ita tamen, ut illos in profanos usus impendere non possint, peccabuntq; mortaliter, non quia alienum usurpaverint, sed quòd vanè consumpserint. Prætereo alias TT. & Canonistarum opiniones, cùm illa sententia, quæ est nunc communior, censeo: quòd Beneficiarii, portionis illius, quæ ad commodam & honestam illorum sustentationem est necessaria, dominium habeant, de ea tamen portione, quæ superest ex fructibus beneficii, obligantur in conscientia id totum, quod superest in communes pios usus & pauperes expendere. Quod Beneficiarii sint Domini portionis ad sustentationē necessariæ, ratio est: quia omnis operarius, mercedis & stipendii sibi ob laborē debiti est Dominus; quemadmodū miles est Dominus suî stipendiî. Sed Beneficiarius est operarius in Ecclesia Chisti: ergo est Dominus fructuū beneficii sibi ad vitā conservandā necessariorum. Item: Pauperes & Ecclesia sunt verè Domini 4tæ partis sibi à Jure ex iisdem fructibus beneficii assignatæ ut habetur. C. Concesso. 12. q. 2. *Reditus & oblationes fidelium in quatuor partes dividat* (Episcopus) *quarum unam sibi ipse retineat, alteram Clericis pro Officiorum suorum sedulitate distribuat, fabricis tertiam, quartam pauperibus & peregrinis habeat fideliter erogandam, quarum rationem Divino est redditurus examini*, & C. Mos est. ibid: *Mos est Apostolicæ sedis*

Ordinatis Episcopis præceptum tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones, una videlicet Episcopo, & familiæ ejus propter hospitalitatem, & susceptionem, alia Clero, tertia verò pauperibus. 4ta Ecclesiis reparandis. &c. Ergo & Clerici sunt Domini suæ portionis.

157. Quòd verò superfluum iidem Beneficiarii debeant expendere in pauperes, multis in locis SS. Canonũ, hoc reperitur. C. 12. q 1. *Si* (id est, *Quamvis*, ut Glossa interpretatur) *privatum possidemus, quòd nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis usurpatione damnabili vendicamus.* Clemens Papa decimas appellat Patrimonium Clericorum & Pauperum, & testatur illas, ad sustentandos Clericos & pauperes ab Ecclesia esse institutas. Quamobrem peccant graviter, qui superfluos fructus in profana non in pauperes expendunt. Adduco S. Bernardum ad Fulconem in sua Epistola sic scribentem: *Verùmtamen quæ sunt tua illa beneficia Ecclesiæ? Rectè, quia surgis ad vigilias, vadis ad Missas, horis chorum nocturnis diurnisq́ frequentas. Bene facis. Sic Ecclesiæ Præbendam gratis non accipis. Dignum est, ut qui altari deservit, de altario vivat. Conceditur ergo tibi, ut si benè deservis, de altario vivas; non autem de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut indè compares tibi fræna aurea, stellas depictas, calcaria deargentata,*

varia

varia griseaq́ pellicia à collo & manibus ornatu purpureo diversificata. Deniq́ quidquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non est, at rapina est, sacrilegium est. Sic Divus Doctor. Ex his itaq; patet, quòd beneficiarii, ultra portionem ad vitæ usum sibi necessariam, reliqua quæ supersunt, in communes indigentium utilitates erogare debent ex præcepto Ecclesiæ.

His positis sic arguo, quod Laici non possint 158.
exigere contributionem de decimis à Clero perceptis. Nam ea contributio esset vel de iis, quæ concernunt honestam sustentationem Clericorum, vel de superfluis, quæ concernunt pauperes. 1mô modô fieri non potest, aliàs impietatis & injustitiæ esset, id Clericis tollere, quo ad vitæ suæ, & statûs conservationem naturaliter indigent. Nec 2dô modô, nam si ipsi Clerici de superfluis non possunt securâ conscientiâ disponere in usus profanos, ne in consanguineos quidem ditandos, quâ conscientiâ Laici propria authoritate, in suum usum Christi Pauperum patrimonium usurpabunt? Nonne ea rapina, esset peccatum clamans in cælum? Imò metuendum est Laicis, ne spoliati sua forte pauperes, simili modô, immutatis quibusdam contra se clament, quemadmodum clamantes inducit S. Bernardus Epist: 42. ad Henricum Sennonensem Archiep: Clamant nudi, clamant famelici, conque-

„ runtur & dicunt: Dicite Pontifices, in fræno quid „ facit aurum? numquid à fræno repellit frigus? ſive „ eſuriem? Nobis frigore & fame laborantibus, quid „ conferunt tot mutatoria vel extenſa in perticis, „ vel plicata in manticis? Noſtrum eſt, quod effun- „ ditis; nobis crudeliter ſubtrahitur, quod inaniter „ expenditis. Vita Noſtra cedit vobis in ſuperfluas „ copias. Noſtris neceſſitatibus detrahitur, quidquid „ accedit vanitatibus veſtris. Duo deniq; mala de „ una prodeunt radice cupiditatis, dum & vos va- „ nitando peritis, & nos ſpoliando perimitis. Iumen- „ ta gradiuntur onuſta gemmis, & noſtra non cura- „ tis crura nuda caligulis? Annuli, catenulæ, & tin- „ tinnabula, & elevatæ quædam corrigiæ multaq; a- „ lia tam ſpecioſa coloribus, quàm ponderibus pre- „ tioſa mulorum dependent cervicibus; fratrum au- „ tem lateribus nec ſemicincta miſerantes apponitis? „ Huc accedit, quod hæc omnia nec *negotiationis ſtu-dio, nec proprio manuum exercitio vobis elaboraſtis, nec jure hæreditario poſſidetis: &c.*

ASSERTIO XI.

Invalida ſunt item ſtatuta illa, & Decreta, quibus prohibetur, ne quidquam Clericis vendatur, vel Eccleſiis aut piis locis applicetur, ne aliquæ ſummæ iisdem inſcribantur; & ſimilia.

§. 1.

PRobatur 1mum C. Eos qui de immun: Ecclef: „
in 6 Eos, qui temporale dominium obtinentes „
fuis fubditis, ne Prælatis, aut Clericis, feu Perfonis „
Ecclefiafticis, quidquam vendant, aut emant ali- „
quid ab eifdem, neq; ipfis bladum molant, coquant „
panem, aut alia obfequia exhibere præfumant, ali- „
quando interdicunt, (cum talia in derogationem „
Libertatis Ecclefiafticæ præfumantur,) eo ipfo ex- „
communicationis fententiæ decernimus fubjacere. „

§. 2.

HUc fpectat Confirmatio Conftitutionis Friderici 159
& Carolinæ in favorem Ecclefiafticæ libertatis per
Bonifacium IX. & Joannem fummos Pontifices, quæ
inferta eft ftatuto Regni Noftri, & habetur lib. 2.
par. 7. tit. 1. & 2. fol. 263.

Bonifacius Epifcopus fervus fervorum DEI - - - - - 160
Dudum fiquidem fel: recor: Honorius P. III. Præ- „
deceffor nofter attentè confiderans, quòd claræ me „
moriæ Fridericus Imper: Rom: femper Auguftus, „
ad laudem Romanæ Ecclefiæ & Sacri decus impe- „
rii cupiens, ut expurgatis quorundam erroribus, i- „
niquis ftatutis penitus deftitutis, de cætero Eccle- „
fia & Ecclefiafticæ Perfonæ plenâ vigeant quiete, „
fecurâ libertate gauderent. Ac piè & juftè atten- „
dens, quòd quorundam perverforum iniquitas adeò „

„ abundaret, ut non dubitarent contra Ecclesiasticam
„ disciplinam & SS. Canones statuta sua confingere
„ adversùs Ecclesiasticas Personas & Ecclesiasticam li-
„ bertatem edita, tali lege hujusmodi statuta iniqua
„ irritaverat & præceperat irrita nuntiari. Ut o-
„ mnia statuta & Consuetudines, quæ Civitates & lo-
„ ca, Potestates & Consules, aut quæcunq; aliæ Per-
„ sonæ, contra libertatem Ecclesiæ vel Personas Eccle-
„ siasticas hujusmodi edere, aut observare tentarent,
„ contra Canonicas vel Imperiales Sanctiones, de i-
„ psorum Capitularibus infra duos menses post ipsius
„ legis publicationem penitus aboleri facerent; &
„ si de cætero talia attentarent, illa ipso jure decre-
„ vit esse nulla; & eos sua jurisdictione privatos.
„ &c. &c. Decernuntur ibi pænæ variæ in transf-
„ gressores. ... Et insuper ordinaverat, ut nullus Ec-
„ clesiasticam Personam in criminali quæstione vel
„ Civili ad judicium seculare trahere præsumat con-
„ tra easdem Canonicas sanctiones & constitutiones
„ Imperiales. Quod si secus faceret actor à suo jure
„ caderet, & judicatum non teneret & Judex foret
„ extunc judicandi authoritate privatus. Quodq; Ju-
„ dices temporales, qui Clericis & Personis Ecclesi-
„ asticis justitiam denegare præsumerent, tertiò re-
„ quisiti, suam jurisdictionem amitterent, prout in
„ dicta Imperiali Constitutione pleniùs continetur.

Di-

Dictus inquàm Prædeceſſor Conſtitutionem ipſam etiam de Conſilio Fratrum ſuorum S.R.E. Cardinalium, qui tunc erant, authoritate Apoſtolica approbans & confirmans ipſam mandavit inviolabiter obſervari, nec non ſtatutarios, & ſcriptores, ac violatores prædictos excommunicatos eadem authoritate nuntiari. Et deinde ad audientiam divæ memoriæ Caroli IV. etiam Rom Imper: ſemper Auguſti deducto, quòd nonnullæ ſeculares perſonæ in poteſtatibus & officiis publicis conſtitutæ, videlicet Duces, Marchiones, Comites, Barones & alii Domini temporales, nec non Conſules Civitatum, Villarum & opidorum & locorum Rectores in diverſis Provinciis ejuſdem Imperii conſtituti, DEI timore poſtpoſito, ſtatuta ſingularia & iniquas Ordinationes motu proprio & defacto contra ipſas Perſonas Eccleſiaſticas & Eccleſiarum libertates ac eorum privilegia condiderant, illiſq; defacto & publicè utebantur, contra Canonicas & legitimas Sanctiones: Utpote quòd nulla bona temporalia in poteſtatem Eccleſiarum transferrentur. Et ne Clerici in ſacris Ordinibus conſtituti ad agendum & teſtificandum in Civilibus, & maximè in piis cauſis aliqvatenus admitterentur. Quodq; excommunicati Laici & publicè denuntiati in Civili foro minimè repellerentur. Et inſuper prædicti Domi-

„ ni temporales, Consules & Rectores per Secularem
„ potestatem res & bona Clericorum occuparent, a-
„ restarent, & oblationes Christifidelium minuerent,
„ atq; restringerent. Exactiones & tallias indebitas de
„ bonis & redditibus Ecclesiarum exigerent, & extor-
„ querent; possessiones Ecclesiarum & Personarum
„ earundem devastarent incendiis & rapinis. Con-
„ tractus inter Clericos & laicos factos legitimè, ad li-
„ bros Civitatum, villarum & locorum prædictorum
„ inscribere & sigillare recusarent. Donataq; & lega-
„ ta ad fabricas & Ecclesiarum structuras contra Præ-
„ latorum voluntatem & aliorum, quorum intererat,
„ contra justitiam tenere, & usurpare præsumerent in
„ fraudem & odium Clericorum. De bonis etiam
„ & rebus eorundem Clericorum, quæ non causâ ne-
„ gotiationum, sed propriis eorundem usibus, per e-
„ orum terras ducebant, seu duci faciebant, theloniũ
„ exigere & recipere non verebantur. Et confugien-
„ tes ad Ecclesias & earum cimiteria, inde extrahe-
„ re, contra Canonicas & Imperiales sanctiones hujus-
„ modi præsumpserant, & præsumebant. Idem Ca-
„ rolus tanquam imperator Christianissimusq; Prin-
„ ceps, volens in præmissis providere remedio salu-
„ tari, etiam de Principum Ducum, Comitum Ba-
„ ronum, fideliumq; aliorum Sacri Imperii Consilio,
„ &authoritate imperiali, quæcunq; statuta & con-
sue-

suetudines prædictas tanquam per Canonicas & Civiles Sanctiones expresse reprobata, cassavit, irritavit, & annullavit, ac cassa & irrita, nulliusq; esse roboris penitus voluit, vel momenti. Præcipiens sub indignatione imperialis banni, Universis & Singulis Principibus ac Dominis temporalibus, Consulib9, Potestatib9 & aliis in Oficiis publicis constitutis, quatenus extunc ipsorum statuta & Ordinationes, quæ in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis edita fuerant, omnino revocarent, & de luce tollerent, quodq; secundùm ea non Judicarent ampliùs, nec sententias dictarent, aut eisdem in judicio vel extra judicium quomodolibet pro se & contra Ecclesiasticam libertatem potirentur. &c. &c. Tandem sequitur summi Pontificis mandatum quatenus prædictæ Constitutiones inviolabiliter observentur.

Hanc Confirmationem sequitur Confirmatio Con- 161
stitutionis Carolinæ per Joannem Papam; quàm ibidem vide fol. 266. Præfatam Constitutionem Friderici vide supra p. 141. Constitutionem Caroli IV vide in Bullario inter Constit: Bonifacii IX. Constit: IV. *Justis & honestis*.

§. 3.

INiquitatem quoq; (ne dicam impietatem) sapit, 162
si quis hominem jure naturali privet, ac impediat,

ne quidquam pro salute animæ suæ, & remissione peccatorum, de bonis suis Deo offerre possit. Fuerat hæc olim Consuetudo Catholicorum in Galliis (teste Baron: An: 843) ut dum quis illorum vel fundum, vel prædium, vel quid simile donaret Ecclesiæ, in scheda connotatione facta eorum, quæ applicabat Ecclesiæ, ad Altare DEI constitutus, sic diceret: *Ego N. Offero DEO & trado hæc omnia, quæ in hac scheda continentur, in remissionem peccatorum meorum, & Parentum meorum, & Filiorum meorum, ut de his Sacerdotes DEO serviant, sacrificia offerant; orationes ad DEUM fundant. Quodsi quis hæc ab Ecclesia repetere voluerit, coram tremendo DEI Judicio respondebit, & fiet sacrilegus.* Baron: an: 843. Ratio item est quia Ecclesiastici sunt exempti à jurisdictione Laicorum, ut dictum supra. n. 114. & seq. Ergo iniquum est, si per statuta Laicorum, quibus non subijciuntur, prohibeantur aliquid acquirere? consequentia patet; quia nemo justè prohibet, nisì habeat jurisdictionem in eum, cui prohibet. Item, liberum cuiq; homini, sua bona donare, vel vendere, Hæreticis, in illicita & quæ cum æterna animæ damnatione sunt, (quæ pudet dicere) vel in luxum, expendere, ut experientia docet, & nemo prohibetur. Unicus ille, qui bona sua, in eleemosynas, in pios usus, ut Deum sibi propitium pro peccatis suis faciat, expendit; prohibetur? nonne id sum-

mæ impietatis & injustitiæ? Hinc meritò conqueritur S. Ambros: l. 5. Epis: 31. *Scribuntur testamenta templorum*, id est, idolorum, *ministris, nullus excipitur profanus; nullus ultimæ conditionis; soli ex omnibus, Clerico jus clauditur.* Et S. Hieron: Epist: ad Nepotian: *Pudet dicere: Sacerdotes idolorum, Mimi, & aurigæ, & scortæ, hæreditates capiunt; solis Clericis & Monachis hoc tempore prohibetur; & prohibetur non à persecutoribus, sed Principibus Christianis.* Probatur 2.

§. 4.

HEnricus Constantinopolitanus Imperator, consti- 163
tuerat, ut nullus posset de suis Possessionibus in vita, vel ultimo testamento aliquid Ecclesiis elargiri; Hoc ubi pervenit ad notitiam Innocentii P. III. sic decrevit in Constitutione sua 10. quæ incipit: Ad Nostram. *Cum igitur Constitutio hujusmodi tam Divinis quàm humanis sit legibus inimica, Discretioni Vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsam authoritate nostra decernatis frivolam, & inanem, & nullo modo servandam.*

In Constit: Synodal: Provin: Gnesnen: Anno Dñi 164
1577. l. 3. de testamen: & ulti: volunt: fol: 174. sic habetur: *Præterea statuta Laicorum, quæ habent, quòd nullus ultra certam summam Ecclesiis vel Clericis donare, seu legare audeat, in ultima voluntate, irrita judicamus, cùm iniquitatem contineant, & testandi perimant libertatem.*

 Con-

Conditores verò hujusmodi statutorum, ac eisdem utentes, Canonicâ arceantur disciplinâ &c Item infra: *Ad hoc, quòd quædam in quibusdam partibus Consuetudo, imò corruptela detestabilis observatur, videlicet, quod tam Laicus, quàm Clericus in lecto ægritudinis constitutus, ultra certam summam, juxta loci illius consuetudinem limitatam, nec piis locis, nec Personis Ecclesiasticis, pro animæ suæ remedio & salute, aliqua possit ordinare Legata. Considerantes, licet vicibus jam repetitis, prædictam consuetudinem, & sacris Canonibus, & Secularibus etiam legibus obviare, cum omnia Iura clamant, quòd ultima voluntas, & ultimum hominis testamentum, inviolabile perseveret; et nihil sit, quod magis hominibus debeatur, quàm ut extremæ voluntatis liber stylus existat. Eandem consuetudinem DEO odibilem, animabus & moribus bonis inimicam, authoritate hujus Sacri Concilii, penitus reprobamus; firmiter statuentes, ut unicuique, quem Iura à testamentorum non prohibent factione, in Sanitate, vel in lecto ægritudinis constituto, legandi, disponendi, & ordinandi de bonis sibi collatis, circa pia loca & Personas Ecclesiasticas, dummodo legitimos non prætereat successores, libera sit facultas. Volentes, & præcipientes districtè, ut per locorum Episcopos, & cæteros Prælatos, jurisdictionem habentes, universi Clerici tam Seculares, quàm Regulares, & Laici, impedientes defunctorum legata seu ultimas voluntates, per excommunicationis, in Personas, & Interdicti in loca, sententias, Canonica monitione præmissa,*

feren-

ferendas, ab hujusmodi impedimentis desistere compellantur; ad quorum executionem, & debitas aggregationes, procedente tempore faciendas, Episcopi & Prælati, ad quos testamentorum defensio, utroq; jure suadente, dignoscitur pertinere, benevolos se exhibeant, & paratos, ne hujusmodi negligentia de eorum manibus in die districti judicii requiratur.

§. 5.

EX dictis patet, statutum, quo Ecclesiæ & pia loca redduntur inhabilia ad acquirendas possessiones, & immobilia Bona, esse contra immunitatem Ecclesiasticam, eosq;, qui condunt tale statutum vel illud exequuntur, esse ipso facto excommunicatos Pirhing. l. 1. t 2. à n. 90 Dian. p. 6. t. 3. R. 6. fuse probant, ejusmodi statuta non solùm esse illicita, sed etiam irrita. Addit Less. cas. 4. & fuse probat, statutum illud graviter esse illicitum, quo decernitur, ut illis, qui volunt ingredi Religionem, vel iam ingressi sunt, non liceat Bona sua, vel portionem sibi obventuram, dare pauperibus, vel conferre in Religionem: dicitq; talis Constitutionis authores, ipso facto incurrere excommunicationem. Idem dicit de illis, qui statuunt, ne Ecclesiis, piis locis, Domibus Religiosis, plus conferatur, vel inscribatur, quàm à lege sua taxatum est. 165

§. 6.

ACcedit authoritas summi Pontificis Pauli V. qui 166

Anno 1606 anathemate percussit Rempub: Venetam ex eo, quòd illa Anno 1605. statutum fecerit, ne intra Dominium Venetum quisquam auderet absq; licentia senatûs, fundos & immobilia bona Ecclesiis vel aliis piis locis applicare, vel legare. Quod si quis iam eis impenderit, certo interiecto spatio temporis: debebant Ecclesiastici bona divendere, acceptamq; pecuniam in pios usus convertere. Adverto quòd Resp. Veneta non prohibebat absolutè Ecclesiasticos, hæredes bonorum immobilium scribi; non denegabat donationes bonorum immobilium Ecclesiasticis, non impediebat fundationes de novo fieri, nihilominus tamen hanc solam ob causam summus Pontifex Rempub. Venetam proscripsit ab Ecclesia, & Interdicto affecit, quòd legem injuriosam Immunitati Ecclesiasticæ ferre præsumpserit. Ergo multo magis contra immunitatem Ecclesiasticam faciunt, qui graviora præsumunt.

167 *Sed Audiamus hac de re disserentem Cardinalem Baronium in sua Parænesi ad præfatam Rempub: Venetam in qua fol. 15. sic habet. Exagitamini insuper literis Apostolicis per Vos statutum: ne quis Ecclesias, Monasteria, atq; alias Religiosas Domos Venetiis & ubiq; locorum dominio Vestro subjectorum sinè vestra speciali licentia fundet & erigat; quàm autem contra jus fasq; id præsumpseritis, quæ dicturi sumus, vos commovebunt. Nam illa Occidentalis Imperii culmina Augustissima, æquè & robore militari,*

tari, potentia, ſimulq; doctrina rerum Sacrarum conſpicui, Carolus & Ludovicus, cum faterentur, ſuper Eccleſias nullum ſibi vendicandum eſſe dominium, verè legitimi laudati ſunt Imperatores, ut qui lege ſcripta profeſſi ſunt, non tantùm in Eccleſiarum conſtructione, aliquod jus non eſſe conceſſum Imperatoribus, ſed neq; abſq; Epiſcopi licentia domi ſuæ Oratorii conſtruendi habere aliquam facultatem, quod probe cognitum, pragmatica Sanctione ita relinquere voluêre teſtatum his verbis: Placuit nobis, ut (ſicut ab Epiſcopis & reliquis Sacerdotibus, ac DEI ſervis admoniti fuimus) ne Capellæ in noſtro Palatio, vel alicubi, ſinè permiſſu Epiſcopi, in cujus eſt Parochia, fiant. Si igitur, nec Capellam unam, & in ſuo Palatio ædificandi, abſq; licentia Epiſcopi, tanti Imperatores facultatem ſe habere teſtati ſunt, quomodo ædificandi Eccleſias, & alia Religioſa loca dandi licentiam vel negandi, Vos ita Vobis arrogatis auctoritatem? Ita Cardin Baronius, qui multis exemplis probat præfatum Reip: Venetæ ſtatutum infringere Eccleſiaſticam libertatem; adeoq; eſſe nullum.

His omnibus addendum eſſe cenſet Dian. p. 1. 168 t. 2. reſ. 62. quòd Conſtantinus Imperator conceſſit facultatem, ut Eccleſiæ per totum Orbem poſſint ædificari, ut patet in c. Futuram 12. q. 1. Ergo non poſſunt Principes etiam aliàs abſoluti, & Imperio non ſubjecti, revocare Privilegia ab imperio Eccleſiæ conceſſa; Nam ut notat Filliuc: t. 1. tra: 16. c. 10. n. 270.

his

his verbis: In particulari autem ea ſtatuta dicuntur contra libertatem, quæ in genere vel ſpecie tollunt, lædunt, vel reſtringunt Privilegia generalia à DEO, Papa vel Imperatore conceſſa toti Eccleſiæ tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus.

Addo ex ſumma ejuſdem Dianæ. V. ſtatutum
169 Laicale n. 18. ſic habetur: Poſtremo monendi hoc loco veniunt Reges & Principes, eorumq; Conſiliarii, ut ſi Regna ſtabilire, & ab eis calamitates arcere deſiderant, nihil ſtatuant, quod Eccleſiaſticæ libertati non ſit conſentaneum; ſed ſi quod ſimile ſtatutum in ſuis ditionibus exſtat, omnino abrogent, & expungant; in dubiis verò eam ſemper amplectantur opinionem, quæ favet Eccleſiæ, aut ſaltem conſulant S. ſedem, ut docet Bernardus Juſtus in defen. liber. fol. 27. & Carolus imperator apud Granadum in c. memoriam diſt. 19 ſciantq; violantibus juriſdictionem Eccleſiæ Regnorum everſionem & amiſſionem imminere, ut faſſus eſt, Baſilius Imperator. Unde notat Baronius ad annum Chriſti 701. & aliàs, olim Deum Regnum Hiſpaniæ tradidiſſe Mauris, & Machometanis, quia à Sancta ſede Apoſtolica in juriſdictione defecerat . . . & ad annum 549. Juſtinianum, dum Eccleſiaſticis dogmatibus perſcrutandis, plus quàm Imperatorem decet, ſtudioſe vacaret, univerſum peſſumdediſſe Imperium. Hunc tamen ait Tanner. in 22. diſp.

diſp. 1. q. 3 d. 1. n. 30. multa juſtè & legitimè de rebus Eccleſ. ſanxiſſe; quæ tamen non ſunt leges Eccleſiaſticæ, ſed meræ executiones Canonum.

N. 19. Monendi quoq; veniunt Epiſcopi & Judices Eccleſiaſtici, ſi quando ſtatutum editur contra libertatem Eccleſ. præcipere Magiſtratibus, & Legislatoribus, ut illud tollant, & ipſis recuſantibus ipſi tollere, & invalidum declarare, & in dubiis cogere ad declarandum expreſsè tali ſtatuto Eccleſias & Eccleſiaſticos, minimè comprehendi. 170

ASSERTIO XII.

Eadem immunitate Eccleſiaſtica in Regno Noſtro Poloniæ gaudent & in ea debent obſervari Eccleſiæ ac Perſonæ Eccleſiaſticæ. Cum verò in ſtatuto Regni & Conſtitutionibus, aliquæ reperiantur Conſtitutiones, quæ adverſantur immunitati Eccleſiaſticæ, ideo ſunt nullæ & invalidæ, nec obligare poſſunt ſpirituales Perſonas.

§. 1.

ımum probatur. Fuſior eſſem, ſi omnia recenſerem, 171 quemadmodum ab introducta S. Fide Catholica in Regnum Poloniæ, Spirituales ſunt ſuſcepti & fundati cum omnibus Privilegiis & immunitatibus ſuis Eccleſiaſticis. Primus Mieſchus ſeu Miecislaus Princeps Poloniæ. *Anno 965. ritu Chriſtiano ſuſcepit S. Fidem. Ex nunc totum ſe ad propagandam per omnem Principatum*

ſuum Religionem, hortante & adjuvante uxore convertit (ut Cromer l. 3 fol 47. ſcribit) Anno Dni 967. (ut Długoſſ. tom. & l 1. fol 93. refert) *Novem Eccleſiis Cathedralibus à ſe fundatis dotes ſufficientes aſſignat, & tam Pontificibus eorum, quàm Perſonalibus dignitatibus, & Canonicalibus & Cathedralibus & aliis inſtitutis Monaſteriis & Eccleſiis Parochialibus, omnem univerſæ Polonorum Regionis omnium frugum Naſcentium deputavit Decimationem, ſed & omnes Barones, Proceres, Cives, & Ruſticos, non ſolùm ad redditionem, ſed etiam ad ducturam campeſtris Decimæ ſubjiciens, largitus eſt. Præterea Eccleſiis Cathedralibus, Collegiatis, Conventualibus & Parochialibus, largas poſſeſſiones, reditus & prædia largitus eſt.* Cromer loc. cit. dicit: *Miecislaus Princeps Baſilicas novem diverſis in locis ædificat, eaſq; ſupellectili omnis generis pretioſa ornat. Cenſibûs & poſſeſſionibûs locupletat - - - iisq; Decimas omnis generis frugum de ſuis juxta ac Nobilitatis, plebisq; agris, edicto perpetuo adſcribit; ita quidem, ut eæ decimæ, poſt meſſem ab iis qui dant, ad conſtitutum locum comportentur.* Ex quo contèxtu manifeſtè patet, quòd Miecislaus plenitudine poteſtatis ſuæ abſolutæ, Nobilitati & omnibus ſubditis legem oneris impoſuerit, ut Spiritualibus Decimas extraderent, eaſq; ad locum comportarent. Patet 2. quòd Libertates Eccleſiaſticæ, Decimæ, & Poſſeſſiones Eccleſiarum, antiquiores ſint Libertatibus Nobilitatis.

Idem

Idem præstitit Ecclesiis ac personis Eccesiasticis 172
successor ejus Boleslaus Chabri, de quo Długoss. & Cromer: *Nulla autem in re Boleslaus erat severior, quàm in contemptu Religionis, Templorum profanatione, & Sacerdotum injuriis atq; contumeliis vindicandis, ad quæ facinora tum pleriq; Equestris Ordinis homines, partim pristinæ impietatis consuetudine, partim militari licentia incitati, ferventur, & Decimarum quoq; onus detrectarent, Sacerdotesq; pulsarent, in authores quidem pœna capitis animadvertit, Cæteros partim verberibûs, partim verbîs atq; minîs castigavit. Episcopos & Sacerdotes ipse magnopere colebat, et ab omnibus coli volebat, nec sedebat stante aut veniente Episcopo, nisì & ille assedisset.* l. 3. fol. 64.

Præter alia documenta, satìs esset ipsum statu- 173
tum Regni Lib. 2. par. 1. tit. 2. *Omnes Domus Dei & Ecclesiæ in juribus suis & libertatibus in integro conservari debent.* Vladislaus Jagello Anno 1413. sic statuit: *Primo quidem, quod universas ædes Sacras seu Ecclesias in omnibus earum, Juribus immunitatibus & libertatibus, ac metis & distinctionibus antiquis, quibus temporibus Dominorum Prædecessorum Nostrorum Poloniæ Regum ac Ducum fruebantur, volumus omnimodè conservare.*

Item idem Vladislaus Anno 1433. & Casimirus 174
III. Anno 1459. sic statuit: *Etsi subditorum Nostrorum secularium, commodis de benignitate Regia libenter intendimus, Juraq; & libertates ipsorum contra detestandam ma-*

 ligno-

lignorum pravitatem ditionis nostræ præsidio confovemus; multò magìs tamen Regis Pacifici Dominatoris universorum exemplò (per quem Reges regnant & principes dominantur) Ecclesiam suam Sanctam & Personas Spirituales, et Seculares sibi subjectas, in Juribus & libertatibus ac statutis á Sanctis Patribus editis conservare & tueri convenit: & ipsas ab omni impressionum incursu præservare.

175 Has libertates & Immunitates Ecclesiasticas, quilibet Rex Poloniæ, se conservaturum promittit hîs Verbîs: *Ego N. DEI Gratiâ Rex Poloniæ &c. Juro spondeo & promitto, quod omnia Jura, Libertates, Privilegia, Literas, Immunitates Regni mei Poloniæ Ecclesiasticas & Seculares, Ecclesiis, Regno quoq; Poloniæ, eiusdemq; Prælatis Principibus &c. per Divos prædecessores meos, &c. justas & legitime donatas, manutenebo, servabo, custodiam &c. attendam &c. sic me Deus adiuvet & hæc S. DEI Evangelia.*

§. 2.

176 2dum Nempe, quòd aliquæ Constitutiones contrariæ Libertati Ecclesiasticæ reperiantur in statuto Regni & Constitutionibus, probatur, testimonio Reverendissimi Stanislai Łubienski Episcopi Płocensis; qui in Responso suo contra quandam Dissidentium Protestationem fol. 204. sic dicit: *Verum posteriore tempore, alterius generis & longè ab illis diversæ Constitutiones iniquæ & Spiritualibus graves in volumen Legum irrepserunt*

pſerunt. Videlicet Anno 1538. *Ne Spirituales Notarii ſint. Anno* 1543. *ſtatutum de Corteſanis, & quid ad Judicium Spirituale pertineat. de Annatis. Anno* 1550. *de alendis per Abbates filiis nobilium, de foro ſpiritualium in actionibus tam Civilibus, quàm criminalibus, cum Perſonis Spiritualibus intentantur. de excommunicationibus & jurisdictione ſpirituali, de Decimis. Ibidem mentionem facit Conſtitutionum Anno* 1607. *&* 1609. *factarum.*

Reverendiſſimus Andreas Lipſki (qui poſt fuit Epiſc: 177 Cracov:) in Decade Quæſti, Public: quæſt: 5. n. 9. ſic ait: *Ex quibus manifeſtò apparet omnia illa ſtatuta, quæ hoc infelici noſtro ævo, maximè verò omnes illas Conſtitutiones Anni* 1607. *quæ turbata Repub: ob domeſticas diſſenſiones contra Perſonas Spirituales reclamantibus et proteſtantibus Epiſcopis, atq;* Univerſo *hujus Regni Clero ſummo Iure, ſummave injuria à Secularibus promulgatæ & in volumen legum publicarum relatæ fuerunt, contrarias atq; omnino repugnantes eſſe Libertati Eccleſiaſticæ, utpote per quæ vel diminui, vel omnino funditùs tolli videntur Privilegia Eccleſiæ vel Ordini Eccleſiaſtico ſervientia. Nam quæ ibi de ſuſpenſione, de præſcriptionibus Decimarum & aliorum fructuum & bonis & Cenſibus jure reemptionis Eccleſiis adſcriptis provenientium, de Annatis, de ſcultetis, de foro Spiritualium, de appellationibus ad Curiam Romanam non admittendis, de Plebeiis ad Eccleſias etiam Collegiatas non recipiendis, ſinè ſtatûs ſpiritualis conſenſu à Secularibus ſtatu-*

untur, quid aliud nisi temerariam quandam manuum quasi injectionem in jura & immunitates Ecclesiasticas Sapiunt? cum non quod antiquæ consuetudini perpetuoq; (ex quo Regnum hoc Christianæ Religionis sacra suscepit) usui consentaneum; non quod æquitati, aut juribus Ecclesiastici Ordinis conveniens est; sed quod propriæ temeritati, & quidquid libet faciendi licentiæ applaudere videbatur, in legibus & Constitutionibus hujusmodi continere nemo negare potest. Hucusq; ille.

§. 3.

178 INter cætera Regnante Sigismundo Augusto, in Comitiis Generalibus Varsaviæ Anno 1563. & 1564. cùm plures in Senatu essent Hæretici, quàm Catholici, latæ sunt quædam Constitutiones Immunitati Ecclesiasticæ præjudiciosæ, contra quas, in facie Reip: in Comitiis Petricoviæ Anno 1565. celebratis, spirituales protestati sunt, de qua re diploma ejusdem Serenissimi Regis exstat, quod adduco.

Sigismundus Augustus DEI Gratiâ Rex Poloniæ, Magnus Dux Litvaniæ, Russiæ, Prussiæ, Mazoviæ, Samogitiæ, etc. Dominus & Hæres.

Significamus tenore præsentium, quorum interest „ Universis & Singulis præsentibus & futuris harum „ notitiam habituris. Quomodo constituti personaliter coram nobis in præsentia Senatorum ac Nuntiorum Terrestrium in moderna conventione generali

rali Petricoviensi congregatorum, Reverendissimi in Christo Patres Dni Dni. Jacobus Uchanski DEI Gratiâ Archiepiscopus Gneznen:, Legatus Natus, & Regni Poloniæ Primas Philippus Padniewski Cracov: Nicolaus Wolski Vladislav. Adamus Konarski Posnanien. Albertus Starozrzebski Chełmen: Dionysius Seczygniowski Camenec: Episcopi, Nomine suo & aliorum Reverendissimorum DD. Episcoporum absentium, ac totius status Ecclesiastici & Spiritualis Regni Nostri, productis & exhibitis factis & inscriptis, certis suis scriptis, & solennibus protestationibus, etiam verbo ibidem factis, & inhærendo suis prioribus protestationibus ante biennium, videlicet Anno Dńi. 1563. solenniter publicè & per expressum protestati sunt & dixerunt; Quod quantum in ipsis situm est, nequaquam consentire possunt neq; consentiunt in ea placita, Constitutionem, Decreta, seu declarationem, quæcunq; in præjudicium Ecclesiarum DEI & statûs Spiritualis in hac Conventione Generali quomodolibet statuuntur contra jura & libertates Ecclesiasticas sacris Canonibus munitas, & in derogationem libertatum & immunitatum Ecclesiasticarum totius Provinciæ, & omnium Ecclesiarum Regni, literis Privilegiis, statutis, Constitutionibus, & indultis, per olim Serenissimos Principes, & Dominos, Duces &

„ Reges Poloniæ, Ecclesiis ipsis & Personis earum le-
„ gitimè concessarum, per eosdem Duces & Reges,
„ tum usum continuum ab antiquo approbatarum,
„ quibus publicè & legitimè cautum, & provisum
„ est, nullas videlicet debere fieri in eodem Regno
„ Constitutiones, placita, & Ordinationes, nisi de o-
„ mnium Consiliariorum consensu & Voluntate &
„ etiam, quod nullus status in alterum libertatibus
„ & immunitatibus gaudentem in tam libero Regno,
„ potest de jure quidquam novi, præsertim contra
„ immunitatem & libertatem alterius constituere &
„ laudare, novasq; leges & statuta condere, per quod
„ alter status gravari, & in suis libertatibus opprimi
„ possent, & præsertim quod contra fidei Catholicæ
„ & Ecclesiæ Sanctæ Ordinationem & institutum fi-
„ eret, aliis nihilominus Senatoribus, necnon terrarũ
„ Nunciis, præsertim Catholicis repugnantibus, reni-
„ tentibus, consensumq; suum, præfatis Constitutio-
„ nibus & Ordinationibus, Religioni Jurisdictioni,
„ libertatibus ac immunitatibus Ecclesiasticis contra-
„ riis, denegantibus, imò suadentibus & postulantibus
„ jura & libertates Ecclesiasticas & omnes dignita-
„ tes in vigore & robore suo conservari. Et insu-
„ per protestantibus, quod nihil omnino Catholicæ
„ Religioni & Jurisdictioni ac libertatibus & immu-
„ nitatibus status Spiritualis derogare velint, per quas-
cunq;

cunq; Constitutiones seu Ordinationes. Intelligentesq; & animadvertentes supra dicti Reveren: DD. Archiepiscopi & Episcopi, in præsenti Conventione nonnulla statuta & Constitutiones & placita, ad nonnullorum Senatorum & Nunciorum status secularis instantiam, contra Religionem, Jurisdictionem, immunitates Ecclesiasticas, Ordinisq; sui & Ecclesiarum fieri & laudari, præsertim de & super executione Processuum à foro spirituali ad Capitaneos loci remitti solitorum, & roboratione seu confirmatione Constitutionis Petricov. ante biennium editæ. Quæ quidem Constitutiones in eam vim sunt factæ, ut nulla executio per loci Capitaneos Processuum remissorum & remittendorum ad Capitaneos locorum fieret ampliùs, manifestè contra Jura, Libertates & Immunitates Ecclesiasticas, necnon contra Privilegia & statuta Regni, imo etiam cotra dictam Constitutionem ante biennium editam, prout ex collatione istarum, ut vocant, Constitutionum, manifestè apparet, ipsas esse inter se contrarias, & pugnare (quòd ajunt) ex diametro. Quamvìs alii audeant affirmare, quòd nihil novi hìc statuatur, sed idem, quod ante biennium, nisì quòd hæc moderna Constitutio sit prioris declaratio, cùm tamen manifestum sit, non esse unam et candem rem, neq; declarationem Constitu-

„ titutionis ante biennium factæ, sed est nova con-
„ stitutio biennali planè contraria, & hoc in eo,
„ quòd in biennali Constitutione contineatur, quòd
„ Nuncii Terrestres noluerunt intrare in aliquas di-
„ sputationes cum DD. Spiritualibus; Hìc vero in
„ ista Constitutione nova statum spiritualem impli-
„ cant, seu ingerunt, cum tamen nedum sententia-
„ ti, sed nec vocati, nec auditi fuerint spirituales,
„ neq; terminum ullum hactenus coram Majestate
„ Regia habuerint; manifesti verò juris est, præser-
„ tim in Polonia, neminem cujuscunq; Conditionis,
„ ne Iudæum quidem, extra terminum condemnari
„ legitimè posse. Præterea, quod etiam ante bien-
„ nium factum est, nomine Constitutionis vocari non
„ potest, sed tantùm nomine Mandati, quod in illa
„ constitutione non exstat scriptum: statuimus, con-
„ stituimus, vel aliud simile, sed tantùm mandamus;
„ neq; ullo verbo meminit Constitutionis. Et insu-
„ per quòd tantùm ex consensu DD. Secularium Con-
„ siliariorum, ante biennium Regia Majestas id fa-
„ ctum seu mandatum scribi jussit. unde apparet ad
„ hæc nunquam consensisse Consiliarios Spirituales,
„ quemadmodum protestabantur de præjudicio &
„ grauamine contra præfatum mandatum. Postremò,
„ quia planum est, tam ipsum mandatum biennale,
„ quod Constitutionem vocant, quàm statutum Ja-

gello-

gellonis in Iedlna fol. 50. ad quod seipsum Man- „
datum refert, nihil de Spiritualibus continere, tan- „
tùm de Majestate Regia & subditis, in quibus utiq; „
sunt tam Spirituales, quàm Regulares; ideo justô „
judiciô nihil processibus Juris Spiritualis obesse ac „
derogare potuit, sicut ipsum statutum Jagellonis, „
ita hoc mandatum biennale, vocatum Constituti- „
onis Nomine, quòd sese ad ipsum statutum Jagel- „
lonis duobus in locis refert, planissimè. Quis i- „
gitur non videat manifestam injuriam, maximum „
præjudicium & Violationem seu confractionem li- „
bertatum, jurium, & immunitatum statûs Spiritu- „
alîs? & quod sinè ipsorum consensu hæc ita fiant, „
tam ante biennium, quàm etiam nunc, primi utiq; „
status in Consilio Regni, & exinde etiam jurium „
statui Spirituali concessorum, & diu laudatorum, „
tam in Conciliis Generalibus seu Oecumenicis, „
quàm per Imperatores Christianos, & Duces ac Re- „
ges Poloniæ collatorum omnibus Spiritualibus, & „
præsertim Ecclesiis & Ecclesiasticis Personis in Re- „
gno Poloniæ, & quidem non modò de decimarum „
& aliarum rerum spiritualibus annexarum, sed e- „
tiam de merè spititualium jurisdictione talis & mo- „
derna Constitutio facta est, quæ omnem Jurisdi- „
ctionem Spiritualem tollit, & in nihilum redigit „
idq; opere contra statuta Regni & Privilegia Eccle- „
 siasti-

„ siastica atq; spiritualia provocabant, & ea osten„ debant, ex quo jam nulla executio in Castro de „ brachio Regali sequitur. Quod quidem Officium „ Castrense sicuti est, etiam vocatur brachium secu„ lare seu Regale, & ob id coram dicta S. Maje„ state Regia & Consiliariis secularibus ac Terrarum „ Nunciis protunc in Conventione Generali congre„ gatis solenniter & expresse protestati sunt, quòd „ quantum in ipsis situm est, nequaquam consentire „ possunt, neq; consentiunt in ea placita & Consti„ tutiones, quæcunq; in præjudicium Ecclesiarum DEI „ in hac Conventione generali quomodolibet statu„ untur, contra Iura, Libertates Ecclesiasticas, olim „ sacris Canonibus munitas, & per Jllustrissimos Du„ ces & Hæredes Regni, necnon Serenissimos Reges Po„ loniæ Ecclesiis & Ecclesiasticis Personis legitimè & be„ nignè concessas, uti præmissum est, coram dicta Regia „ Majestate exhibitis & demonstratis, petieruntq; sub„ missè dicti Reverendissimi DD. se circa Privilegia, „ *immunitates Constitutiones Ecclesiarũ Regni conservari, eaq; „ executioni debitæ demandari, & ne in formâ* Constitutionũ „ & Ordinationũ, eadem placita et Constitutiones seu „ prætactæ Ecclesiæ & statui Ecclesiastico Ordinationes „ præjudiciales in quibuscunq; rebus referantur, neq; Ec„ clesias Dei ac earũ ministros afficere quovis modô per„ mittat. ex quo Constitutiones & statuta conventiona-

lia

lia non possunt nec debent etiam de jure Regni „ statui & laudari, nisi de mutuo & omnium con- „ sensu tam spiritualium, quàm secularium Consili- „ ariorum. *Ideo subjacere non teneantur cum universo suo Clero talibus Constitutionibus, seu Ordinationibus, quæ non fuerint, prout non sunt, omnes de consensu tam spiritualium quàm secularium Consiliariorum profectæ & constitutæ; imò ut supra scriptum est per alios DD. Consiliarios & Nuncios Terrestres, præsertim Catholicos reprobatæ, uti præjudiciales Religioni, Ecclesiæ DEI ac Iurisdictioni Ecclesiasticæ & Iuribus ac Privilegiis nec non libertatibus & immunitatibus status spiritualis præjudiciales & nocivæ. Et ob id iterum atq; iterum, omnibus quibus melius, efficaciusq; debuerunt, protestati sunt, se cum universo Clero talibus Constitutionibus immunitati Ecclesiasticæ contrariis nolle subjacere. & ea protestatione solenni facta, petierunt à nobis prædicti Reverendissimi DD. hanc protestationem, ipsis per nos* pro religione, jurisdictione, immunitate & liber- „ tate Ecclesiastica statûsq; spiritualis, consignari, & „ de remedio justitiæ Ecclesiis DEI ac Ecclesiasticis „ Personis in Regno Nostro provideri. ac ipsos cum „ eorum Ecclesiis & Uniuerso Clero in Juribus, li- „ bertatibus & immunitatibus Ecclesiasticis conser- „ vari & Manu teneri. Nos verò volentes, unicuiq; „ quod suum est, reddere, & agnoscentes nos „ æquè spiritualibus ac secularibus Jura & Pri- „

„ vilegia, immunitates ac libertates confirmasse, tam „ literis, quàm jurejurando Nostro; ideoq; ea inviolabiliter conservare, & manutenere debere, & protestationem ipsorum Reverendissimorum DD. consignari jussimns: adhærendo simul, protestationibus in facie Nostra factis tam Consiliariorum, quàm „ Nunciorum Terrestrium; præsertim Catholicorum, „ qui sarta tecta jura Ecclesiastica omnia, & Personarum esse voluerunt, & postulârunt. *Et ipsos; imprimis verò Ecclesias omnes in juribus & libertatibus, & immunitatibus earundem plenissimè conservandos ac manutenendos duximus, prout conservamus & manutenere volumus, & conservari, ac manuteneri per successores Nostros perpetuis temporibus & in ævum decernimus, in nullo præjudicando neq; derogando præfatis juribus libertatibus & immunitatibus Omnium Ecclesiarum in Dominiis Nostris consistentium, & Personarum Ecclesiasticarum.* In cu„ jus rei fidem & evidens testimonium manu No„ stra subscripsimus, & Sigillum Nostrum appendi „ jussimus. Datum Petricoviæ in Gener. Regni Con„ ventione die Sabbato ante Domi: Palmarum An„ no D. 1565. Regni n. 36. &c. Sigismundus Au„gustus Rex.

179 Ex adducto diplomate (cujus originale habetur in Archivo Ecclesiæ Cathedr: Cracov:) manifestè patet 1. Quòd Serenissimus Rex agnoverit, & decla-

rave-

raverit Constitutiones latas contra immunitatem Ecclesiasticam, (contra quas semper protestabantur spirituales) esse nullas & invalidas 2. Quod idem Rex intacta velit esse Jura & libertates Ecclesiasticas, eaq; à successoribus suis conservanda & manutenenda, in perpetuum & in ævum, statuat.

Idem dicendum de Articulo Confædarationis Anno Domini 1573. sub Interregno, edito, & in Volumen Constitutionum Regni, inserto; quòd nullius sit roboris. De quo fusè tractat Andreas Lipski locô citatô, quæst: 8. Ob paritatem rationis, idem dicendum de Constitutione Anno 1635. fol: 7. tit: Ordynacyá Rzeczy Pospolitey Dobr Ziemskich Dźiedźicznych. & fol: 9 O Wyderkáffách. & fol: 10 ac 11. Compozycya o Dźieśięćiny; contra quas Constitutiones Anno eodem, Feria 6. post Dominicam Conductûs, Nomine totius Cleri R. D. Adrianus Grodecki Canonicus Gnesnen: coram Actis Sochaczoviensibus protestatus est: quàm Protestationem postea Anno 1649. Feria 6. in Crastino festi Nativitatis S. Joannis Bapt: R.D. Swierczynski Decanus Stęzycensis ad Acta Castri Stęzyc: obtulit. Quamobrem, non rectè illi faciunt, qui præfatis infundati constitutionibus, secundùm illas Decreta in Judiciis formari prætendunt, vel facta præjudicare asserunt. Decreta quoq; illa, quibus Spirituales in quibusdam locis levare

vare summas Originales de Bonis unius Territorii & Palatinatus, ac in Bona alterius transferre prohibentur, nulla sunt, nec Spirituales obligant. vide dicta n. 163. & sequen.

§. 4.

181 ULtimum Probatur Constitutione Synodi Provincialis Gneznensis Anno Domini 1621. die 16. Aprilis Petricoviæ celebratæ. quæ est talis; De Immunitate Ecclesiastica & libertatibus Ecclesiæ tuendis Cap. 1. *Cùm Ecclesiastica Libertas, ad ministros Ecclesiæ, & immunitas ad bonorum possessionem, fructusq; pertinens, DEI Ordinatione, summorum Pontificum Decretis, & Sanctorum Conciliorum authoritate stabilita, atq; in hoc Regno debitè observata, nulla ratione violari à quoquam debeat; proinde, quod de summa pietate & Justitia Sacræ Regiæ Majestatis Synodus maximè confidit; dubitare non possumus, quin reliqui Magistratus Provinciæ, exemplò pientissimi Regis, quem DEUS Sanctæ Fidei Ecclesiæq; suæ in hoc amplissimo Regno, defensorem & protectorem singulari providentiâ constituit, libertatem & immunitatem Ecclesiasticam conservare integram studeant, & quæ Ecclesiastici Juris sunt, ea tanquam DEI ipsius munita præsidio sanctè tueantur. Quod ita ut fiat, Episcopi præcipua pars Senatus Regni, cujus Princeps est Archiepiscopus Gnesnensis, pro officiis sui munere obligantur in conscientia providere, ne quid contra libertates, jura, immunitatates, & privilegia Eccle-*

si-

siastica in Comitiis Regni statuatur. Et cum non deceat Ecclesiasticos in hoc superari à Secularibus, qui absq; ullo respectu metuve invidiæ, aut cujusvis potentiæ, tam anxiè, solicitè, & efficaciter Iura sua & libertates tuentur; multò magìs convenit Episcopis Christum apertè confiteri, & strenuè causam DEI agere. Ideoq; si quid invito Ordine Ecclesiastico pro lege habendum, á secularibus decernatur, conjunctim operam Metropolitano suo & Primati, ad tuenda jura Ecclesiæ præstent, & non modò circa Conclusionem Comitiorum protestentur, se ea lege, quæ non de publico omnium consensu ferretur, non teneri, verùm etiam ad acta Regni publica, relatam Protestationem singuli in Diæcesibus per Decanatus Rurales Clero suo intiment, & publicari mandent per Processum, non tamen ex ambona; ad eum effectum, ut Clerus præmoneatur, se ad ejusmodi præjudicialium legum observantiam non obligari: Et Confessarii, præsertim nonnulli Regulares, qui per indulgentiam nimiam, aut alia de Causa Nobiles a quibusvis criminibus absolvunt, norint probè examinare conscientias eorum, qui constitutiones Libertati Ecclesiasticæ contrarias in Comitiis promovent, & Clerum, inauditâ Causâ per injuriam aut invidiam oppugnant. Quamobrem præsentis Synodi authoritate, omnes sacros Canones & Apostolicas sanctiones in favorem Ecclesiasticarum Personarum libertatis Ecclesiasticæ, & contra ejus violatores editas; omnia item superiorum temporum Provincialia statuta in hac materia de immunitate Ecclesiarum

sancita, ab omnibus exactè servari præcipimus.

§. 5.

182 Confirmatur id ipsum recenti SSmi. Clementis XI. ad Regnum Nostrum Missa Constitutione. Cùm etenim Anno 1710. in Consilio Varsaviensi nonnulla Decreta & Constitutiones contra immunitatem Ecclesiasticã latæ fuissent, nec non in Confæderatione Generali Sandomiriensi, multa in præjudicium veriùs oppressionem statûs spiritualis constituta fuissent: Sanctissimus, acceptâ hac de re notitiâ, dedit Breve suum ad Regnum Nostrum Poloniæ, in quo, gravibus & scandalosis, secularis potestatis abusibus occurrendo, omnia Decreta & Ordinationes, & alia in præjudicium libertatis Ecclesiasticæ facta, nulla, invalida, irrita ac temeraria declarat, imò & facienda agenda decernenda in posterum, annullat ac reprobat. Insuper præcipit Prælatis Ecclesiasticis Regni Nostri sub pæna suspensionis & Interdicti, ne decreta ejusmodi absq; consensu S. Sedis Apostolicæ facta, executioni mandari permittant. Omnibus verò & singulis Regni Poloniæ Personis Ecclesiasticis tam secularibus, quàm Regularibus, in Virtute S. Obedientiæ sub pæna excommunicationis, suspensionis & privationis prohibet, ne quidquam etiam minimum quovis modo, aut prætextu redimendæ vexæ, solvere audeant, aut Jurisdictioni seculari sese subjicere præsumant. Hanc

Con-

Constitutionem Sanctissimi Clementis XI. in suis terminis positam vide inferius n. 321.

ASSERTIO XIII.

Omnes fideles cujuscunq; dignitatis & Potestatis, violantes aliquo ex præfatis modo Immunitatem Ecclesiasticam; statuentes Decreta vel ea exequentes, vel in illa consentientes, ipso facto incurrunt excommunicationem soli summo Pontifici reservatam cum obligatione restitutionis damnorum.

§.

PRobatur C. non minus 4 de immunit: Eccles: Concilium Lateranense sic dicit: *In diversis mundi partibus Consules Civitatum & Rectores, nec non & alii, qui potestatem habere videntur, tot onera frequenter imponunt Ecclesiis, ut deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videatur, quàm sub Pharaone fuerit, qui legis Divinæ notitiam non habebat. Ille quidem omnibus aliis servituti subactis, Sacerdotes & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & eis alimoniam de publico administravit,* isti verò onera sua ferè universa imponunt Ecclesiis, & „ tot angariis eas affligunt, ut eis, quòd Ieremias de- „ plorat, competere videatur: Princeps provincia- „ rum facta est sub tributo; sive quidem fossata, si- „ ve expeditiones, sive alia quælibet sibi arbitrentur „ agenda, de bonis Ecclesiarum, & Clericorum, & „ 183

 pau-

„ pauperum Chriſti uſibus deputatis, volunt fere
„ cuncta compleri. Jurisdictionem etiam & autho-
„ ritatem Prælatorum ita evacuant, ut nihil poteſta-
„ tis eis in ſuis videatur hominibus remanſiſſe. Quo
„ circa ſub anathematis diſtrictione fieri de cætero
„ talia prohibemus - - - ſi autem Conſules, aut alii
„ de cætero iſta commiſerint, & commoniti deſiſte-
„ re noluerint, tam ipſi, quàm fautores eorum, ex-
„ communicationi ſe noverint ſubjacere; nec com-
„ munioni reddantur, donec ſatisfactionem fecerint
„ competentem.

184 C. Adverſus 7. eod: Adverſus Conſules & Re-
„ ctores Civitatum, vel alios, qui Eccleſias & Eccle-
„ ſiaſticos Viros, taliîs ſeu collectîs, & exactionibûs
„ aliîs aggravare nituntur, volens immunitati Eccle-
„ ſiaſticæ Lateranenſe Concilium providere, præſum-
„ ptionem hujuſmodi ſub anathematis diſtrictione
„ prohibuit; tranſgreſſores & fautores eorum, excom-
„ municationi ſubjacere præcepit, donec ſatisfactio-
„ nem impenderint competentem --- Quia verò nec ſic
„ quorundam malitia contra DEI Eccleſiam conqui-
„ evit, adjicimus, ut Conſtitutiones & ſententiæ, quæ
„ à talibus vel de ipſorum mandato fuerint promulga-
„ tæ, inanes, & irritæ habeantur, nullo unquam tem-
„ pore valituræ. Cæterùm, quia fraus & dolus ali-
„ cui patrocinari non debent, nullus vano decipiatur

errore

errore, ut intra tempus Regiminis sustineat ana- „
thema, quasi post illud non sit ad satisfactionis de- „
bitum compellendus, nam & ipsum, qui satisface- „
re recusaverit, & successorem ipsius, nisì satisfece- „
rit, infra mensem manere decernimus Ecclesiasticâ „
censurâ conclusum, donec satisfecerit competenter; „
cum succedat in Onere, qui substituitur in honore. „
Accedit Bulla *Cænæ Domini*, quæ præfata De- „ 185
creta innovat. & est talis: § 13. Excommunicamus „
& anathematizamus omnes, & singulos Cancella- „
rios Vice Cancellarios & Consiliarios Ordinarios & „
extraordinarios &c. § 14. Quive ex eorum præten- „
so officio vel ad instantiam quorumcunq; Personas „
Ecclesiasticas Capitula, Conventus & Collegia Ec- „
clesiarum quarumcunq; coram se ad eorum Tribu- „
nal, audientiam, Cancellariam, Consilium vel Par- „
lamentum præter Juris Canonici dispositionem, „
trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè „
vel indirectè quovis quæsito colore. Nec non qui „
statuta, Ordinationes, Constitutiones Pragmaticas, „
seu quævis alia Decreta, in genere vel in specie ex „
quavis causa & quovis quæsito colore, ac etiam „
prætextu Literarum Apostolicarum usu non rece- „
ptarum, seu revocatarum, vel cujusvis consuetudi- „
nis aut Privilegii vel aliàs quomodolibet fecerint, „
ordinaverint & publicaverint, vel factis & ordina- „

„ tis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu „ in aliquo læditur vel deprimitur, aut aliàs quovis „ modo restringitur, seu nostris & dictæ sedis ac qua„ rumcunq; Ecclesiarum Juribus, quomodolibet di„ rectè vel indirectè, tacitè vel expresse præjudicatur.

„ §. 17. Quive collectas, decimas, taleas, præstantias, „ & alia onera, Clericis, Prælatis, & aliis Personis „ Ecclesiasticis ac eorum & Ecclesiarum, Monasteri„ orum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bo„ nis, illorumq; fructibus, reditibus & proventibus „ hujusmodi, absq; simili Rom: Pontificis speciali & „ expressa licentia imponunt, & diversis etiam exqui„ sitis modis exigunt, aut sic imposita etiam à spon„ te dantibus & concedentibus recipiunt; necnon qui „ per se vel alium sive alios, directè vel indirectè, „ prædicta facere, exequi, & procurare, aut in eisdem „ auxilium, consilium vel favorem aut votum seu „ suffragium, palàm vel occultè præstare non ve„ rentur, cujuscunq; sint præeminentiæ, dignitatis, Or„ dinis, conditionis aut status; etiamsi Imperiali aut „ Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, „ Comites, Barones, Respublicæ, & alii Potentatus „ quicunq;, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus „ & Terris quoquo modo præsidentes, aut qua„ vis etiam Pontificali dignitate insigniti; innovan„ tes Decreta super his per sacros Canones, tam in

Lateranensi novissimè celebrato, quàm aliis Conci- „
liis generalibus edita, etiam cum Censuris, & pæ- „
nis in eis contentis.

ASSERTIO XIV.

Insuper in Regno nostro Poloniæ violatores Immunitátis Ecclesiasticæ, & Posteri illorum, ad Ordines, Dignitates, & Beneficia Ecclesiastica, sunt perpetuò inhabiles.

§. 1.

PRobatur Bulla Sixti V. Papæ data ad Regnum No- 186
strum Poloniæ Anno 1589. quæ est talis.

SIXTUS EPISCOPUS

Servus Servorum DEI. Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis Nostra solicitudo, quam pro tuenda ubiq; gentium & locorum, propagandaq; Catholica Religione suscipere tenemur, Paternaq; Charitas, quam erga inclytum Poloniæ Regnum in visceribus Christi præcipuè gerimus, & singularis zelus, Orthodoxæ Fidei, sinceraq; erga Romanos Pontifices, Sanctamq; hanc sedem devotio, quam ipsum Regnum, præsertim verò illius Prælati hoc maximè tempore præseferunt; jure optimo nos inducunt, ut iis, quæ pro conservatione ejusdem Catholicæ Fidei, & pro publica ejusdem Regni quiete & tranquillitate piè ac prudenter à Prælatis præfatis statuta fuerunt, Apostolicæ Confirmationis robur, iisdem Præsulibus supplicantibus, benignè impertiamur. Nuper siquidem, sicut Nobis expositum fuit, in Synodo Pro-

vinciali Petricoviensi, de more celebrata, Venerabiles Fratres Nostri Archiepiscopi & Episcopi Metropolitanarum & Cathedralium dicti Regni Ecclesiarum, simul congregati, & convenientes in unum, ut more vigilum Pastorum gregem Domini curæ suæ creditum ab imminentibus luporum periculis in columem, quantum in eis est, præservarent, simulq; unioni & paci ipsorum Prælatorum, Procerum, & Populorum ejusdem Regni consulerent, inter alia, sub Nostro & Sedis Apostolicæ beneplacito statuerunt, ordinârunt, & decreverunt.

Quòd tam in præsens, quàm in futurum nemo unquam agnoscatur nec recipiatur in Regem Poloniæ, nisi fuerit verè Catholicus: quiq; Sanctam Catholicam & Orthodoxam fidem, quam S. Romana & Apostolica Ecclesia tenet, docet, & prædicat, palàm & publicè profiteatur, & sequatur, & in unitate ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ permaneat. Quodq; pro tempore existens Archiepiscopus Gnesnensis, cui jus renuntiandi, seu publicandi Regem, ex Privilegio competere dignoscitur, nominet, renuntiet, aut publicet, qui fuerit fidei dubiæ, & non sit manifestè Catholicus. Ad tollendum verò dissidii & intestini belli periculum, nullus Episcoporum & Prælatorum, contra Jus Archiepiscopi prædicti, post denuntiationem ab eo factam, scilicet de Persona Catholica, & servatis Regni statutis & consuetudinibus, in electione Regis audeat nominare, renuntiare, aut coronare alium in Regem, ; alioquin à Regimine & administra-

nistratione Cathedralis seu Metropolitanæ Ecclesiæ, cui præest, in perpetuum, eo ipso sit suspensus; atque etiam omnibus beneficiis Ecclesiasticis, quæ quomodolibet obtinet, privatus existat. Et nihilominus hujusmodi nominatio, renuntiatio, aut coronatio, invalida & nulla censeatur, ac nullius sit roboris vel momenti.

Ne quis Nominatus à Rege Poloniæ pro tempore existente in Episcopum vel Archiepiscopum, ad Ecclesiam aliquam Cathedralem vel Metropolitanam ex iis, ad quas pro tempore vacantiæ jus nominandi ipsi Regi & Privilegio Apostolico competit, assumat sibi honorem, & locum; neve in Regimine & Administratione Ecclesiæ hujusmodi, illiusque Bonorum, quoquo modo se immisceat, nisi prius à sede Apostolica eidem Ecclesiæ de Persona sua sic Nominata, provideri, seu in Episcopum vel Archiepiscopum. Præsulem & Pastorem præfici obtinuerit, Literis Apostolicis desuper expeditis: si secus fecerint, ad illam & aliam quamcunque inhabilis omnino censeatur.

Quicunque ex Senatoribus, sive ex Nobilibus in promovendo Rege Hæretico, operam, consilium, auxilium, vel favorem præstiterit, vel consenserit aut ei iam promoto adhæserit, præter alias censuras Ecclesiasticas, & pænas, in quas eos incurrere sacris Canonibus & constitutionibus Apostolicis constitutum est, tam ipse, quàm posteri ejus & descendentes, ad omnes honores, dignitates, & beneficia Ecclesiastica obtinenda, perpetuò inhabiles & incapaces sint, & esse censeantur.

Nullus Episcoporum, seu inferior Prælatus audeat Hæreticum hominem ad honores, dignitates, officia, vel beneficia spiritualia, & temporalia promovere, vel promoveri facere; aut intercessione, opibus, aut alia quacunq; ratione, ad ea assequenda juvare. Quodsi id attentare præsumpserit, pœnam privationis omnium & quorumcunq; beneficiorum Ecclesiasticorum, vel officiorum, quæ obtinet, necnon suspensionis, ut præfertur à Regimine & administratione suæ Ecclesiæ ipso facto incurrat, & ad alia obtinenda in capax prorsus existat.

Quicunq; ex iis, qui pro Catholicis se gerunt, tepidis nimirum & falsis Fratribus Apostolicæ sedis Authoritatem, jurisdictionem Ecclesiasticam & jura decimarum publice vel privatim, directè vel indirectè in Conventibus aut aliis in locis impugnaverit, tam ipse, quàm ejus posteri, ab Ordinibus, honoribus, dignitatibus & beneficiis Ecclesiasticis in perpetuum arceantur, & ad illa semper in habiles existant.

Quoties ex necessaria, communi, & publica causa ac de licentia seu permissione S. Sedis Apostolicæ conferendum est, consensu publico ex Bonis Ecclesiæ subsidium seu donativum aliquod Regi vel Reipub: illud per deputatos suos Episcopi exigant, ne subdidití & Bona Ecclesiarum à Secularibus exactoribus expilentur, & profanentur, ac variis injuriis & damnis (prout plerumq; factum est) afficiantur. Si Episcopi aliter fecerint, pœnis in Concilio Generali Lateranensi novissime celebrato, & in Bulla Cœnæ Domini legi solita,

alitsq;

aliisq; sanctionibus Apostolicis contra eos, qui etiam sponte offerunt, inflictis eo ipso subjaceant. Demum, quod propter omnes subitas dicti Regni necessitates, & improvisos eventus, Thesaurus, sive ærarium publicum & commune omnium Regni prædicti Ecclesiarum, in aliqua Ecclesiæ arce seu Castro, providè & accuratè instituatur, & cum omni diligentia & custodia asservetur.

Quæ omnia statuta & decreta, quo firmiùs & accuratiùs perpetuis & futuris temporibus observentur, iidem Prælati per dilectum Vincentium de Seve Præpositum Lascensem & Internuntium ab ipsa Synodo Provinciali ad nos missum, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut illis Apostolicæ comprobationis robur adijcere, aliasq; in præmissis opportunè, providè de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur Eorundem Prælatorum, ac ipsius Synodi pietatem, sanctumq; & laudabile propositum, plurimùm in Domino commendantes, eorumq; supplicationibus hac in parte annuentes; statuta, ordinationes, & decreta prædicta, prout superiùs descripta fuerunt, ex certa nostra scientia, deq; Apostolicæ potestatis plenitudine, tenore præsentium perpetuo confirmamus, & approbamus, eaq; præsentis scripti patrocinio communimus, & illius perpetuæ & inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac per eos, quos illa concernunt in futurum, perpetuò, firmiter & inviolatè observari præcipimus & mandamuus; omnesque & singulos Juris & facti ac solemnitatum & substantialium, si qui in eis intervenerunt

 defe-

defectus, supplemus, decernentes irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate fulgente, scienter vel ignoranter contigerit, attentare. Non obstantibus prædictarum Ecclesiarum & quibusvis aliis contrariis statutis & consuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis, & immemorabili tempore pacificé observatis; nocnon Privilegiis, indultis, & literis Apostolicis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiamsi de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa & individua mentio habenda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro expressis habentes, ad effectum præsentium duntaxat, ac specialiter & expressé derogamus illaq; omnia & singula quatenus præsentibus literis in aliquo adversentur, penitus tollimus & abrogamus, & nolumus deinceps cuiquam suffragari, cæterisq; contrariis quibuscunq; aut si iisdem Prælatis, vel eorum alicui, seu aliis Personis, communiter vel divisim ab Apostolica sede sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem.

Volumus autem, quòd præsentium literarum transumptis, etiam impressis Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eadem ubiq; fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, exhibitis vel ostensis.

Nul-

Nulli ergo homini liceat hanc Paginam Nostræ confirmationis, approbationis, communitionis, adjectionis, præcepti, mandati, suppletionis, decreti, derogationis, sublationis, & Voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit in cursurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ. Millesimo Quingentesimo, Octogesimo Nono. Quinto Idus Febr: Pontificatûs Nostri Anno Quinto.

ASSERTIO XV.

Præfata Privilegia, & Jura Immunitais Ecclesiasticæ, nulla consuetudine contraria possunt tolli, abrogari & immutari.

§. 1.

PRobatur C. Clerici 8 de Iudic: *ut de omni crimine* 187
Clericus debeat coram Ecclesiastico Iudice Conveniri, non debet in hac parte Canonibus ex aliqua consuetudine præjudicium generari. C. Ad nostram 3. de Consuet:
Nos igitur attendentes, quòd consuetudo, quæ Ca- „
nonicis obviat institutis, nullius debeat esse mo- „
menti, cum sententia à non suo Iudice lata, nullam „
obtineat firmitatem, ut in causis Ecclesiasticis sub- „
jectorum tuorum qostquàm tibi de meritis earum „
constiterit, sententiam proferre valeas, sicut ordo „

„ postulat rationis authoritate tibi præsentium (præ-
„ missa cunsuetudine non obstante) concedimus fa-
„ cultatem.

C. Consuetudines eod: *Consuetudines, quæ Ecclesiis gravamen inducere dignoscuntur, nostra nos decet considera- tione remittere.* - - - - - - - - - - -

C. cum inter 5. eod. Nos igitur cognito, quòd „ ex tali consuetudine, si qua foret, disrumperetur „ nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, ipsam de consensu „ Fratrum Nostrorum duximus irritandam.

C. Cum terra 14. de Elect: irrepserant quædam pravæ consuetudines (de quibus mentionem facit ci- tatum caput) contra jus Canonicum, has reprobat Papa, his verbis: *Quia igitur hoc redundat in gravamen & perniciem Ecclesiasticæ libertatis, præscriptam consvetu- dinis pravitatem sancimus penitus abolendam.*

Item C. Noverit 49. de senten. ex commun. ci- tato n. 141. & Authen. Cassa. C. de sacrof. Eccl. citat. supra n. 145. & Constitutio Frider. Imper. citata 143. Idem habent Constitutiones Synodales Provinciæ Gne- znen: sub Reverendissimo Stanislao Karnkowski tit. de Consuetud: *Consuetudines, quæ gravamen Ecclesiis in ducere dignoscuntur, invalidas decernimus; Locorum Ordi- nariis, ut in omnem eventum eis resistant, firmiter injungentes.*

§. 2.

188 Hinc quædam consuetudines in Regno Nostro con-

tra immunitatem Ecclesiasticam, introductæ sunt nullæ, ac irritæ. Ratio insuper est. quia Jura Canonica, consuetudinem immunitati Ecclesiasticæ contrariam appellant corruptelam, & tanquam damnabilem reprobant. Corrŭptela autem & consuetudo damnabilis, in re nihil aliud est, nisi frequentia peccandi: & quemadmodum, nemo dicere potest licitum esse peccatum, ex eo quia frequenter comittitur. (alias quisq; inferret, licita esse adulteria, perjuria, & similia scelera, ex eo, quia in aliqua Communitate, hæc crimina in consuetudinem abierunt) sic non potest dici, licitum esse agere contra immunitatem Ecclesiasticam, quia hoc jamconsuetudine introductum.

Item Consuetudo non potest legitimè introduci contra jus divinum & naturale; nihil enim intrinsecè malum, potest per consuetudinem fieri bonum. Sed Immunitas Ecclasiastica est Juris Divini, ut supra probatum n. III.

Tandem. Inter alia requisita, ut Consuetudo legitimè introducatur, est etiam hoc, ut sit legitimè præscripta, hoc autem ut fiat, debet esse continuata præscriptio bonâ fide, quod fieri non potest in casu proposito, cum singulis annis per publicationem Bullæ Cœnæ Domini improbetur ab Ecclesia. Item ut quis introducat jus Consuetudinis contra immunitatem Ecclesiasticam, debet esse capax jurisdictionis & pote-

teſtatis Eccleſiaſticæ, nam Univerſaliter, qui in ducit Conſuetudinem, debet habere poteſtatem ferendi legem, vel ejus poteſtatis eſſe capax. Sed laici non ſunt capaces Juriſdiſtionis Eccleſiaſticæ. Ergo non poſſunt introducere conſuetudinem contrariam Immunitati Eccleſiaſticæ.

ASSERTIO XVI.

Omnibus ſpiritualibus cujuſvis Didgnitatis prohibetur à Sacris Canonibus ſub graviſſimis cenſuris, ne ſine expreſſa S. ſedis Apoſtolicæ licentia ultro conſentiant in Tributa & Onera Perſonis Eccleſiaſticis à poteſtate laicali impoſita.

§. 1.

189 PRobatur. Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 9. de Refor: Curiæ ſic dicit: Et cum à Jure „ tam Divino quàm humano, Laicis poteſtas nulla „ in Eccleſiaſticas Perſonas attributa ſit, innovamus „ omnes & ſingulas conſtitutiones fel: rec: Bonifacii „ Papæ VIII. etiam Prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: „ Felicis: & Clementis V. quæ incipit: Si quis ſuadente: nec non quaſcunq; alias Apoſtolicas Sanctiones „ in favorem libertatis Eccleſiaſticæ, & contra ejus „ violatores quomodolibet editas, & pænis etiam contra talia præſumentes, in Bulla, quæ legitur in Cæna Domini, contentis, in ſuo robore permanſuris. „ Et cum in Lateranenſi pariter ac Conciliis Generalibus

libus ſub excommunicationis pæna prohibitum fue- „
rit, ne Reges, Principes, Duces, Comites, Barones, „
Respublicæ, & alii potentatus quicunq; Regnis, Pro- „
vinciis, Civitatibus, ac terris quoquo modo præſi- „
dentes, Collectas, Decimas, & alia hujuſmodi „
onera, Clericis, Prælatis & aliis quibuſcunq; „
Perſonis Eccleſiaſticis imponant, exigantq;, neve à „
ſponte etiam dantibus & conſentientibus etiam re- „
cipiant, atq; in præmiſſis, auxilium, favorem, con- „
ſilium vel palàm vel occultè præſtantes, in excom- „
municationis latæ ſententiæ pænam eo ipſo incidant; „
& ipſæ quoq; Reſpub: ac Communitates & Uni- „
verſitates, circa hoc quomodolibet delinquentes, „
Eccleſiaſtico, eo ipſo ſubjiciantur Interdicto. Præ- „
lati etiam præmiſſis abſq; Rom: Pontificis expreſ- „
ſa licentia, ultro conſentientes, Excommunicationis „
& Depoſitionis pænam ipſo facto incurrant, ſtatu- „
imus, & ordinamus, ut de cætero talia præſumen- „
tes, etiamſi (ut præfertur) qualificati fuerint, ultra „
ſupra dictas pænas, quas contraveniendo, eo ipſo „
incurrere volumus, innovamus, quòd ad omnes a- „
ctus legitimos inhabiles, & inteſtabiles habeantur. „
Huc ſpectat Concil: Triden: ſeſſ. 22. c. 11. citandum n. 208. & C. Clericus 3. in 6. citandum n. 194.

ASSERTIO XVII.

Quòd si iidem proprio motu, & inconsulta S. sede Apostolica aliquod tributum vel onus Personis Ecclesiasticis imponere præsumpserint, pœnis Concilii Lateranensis & Bullæ Cœnæ D. ipso facto subjacent.

§. I.

190 QUod Prælati Ecclesiastici proprio motu, aliquod Tributum Clericis imponere non possint probatur.

C. Cum Apostolus 6. de cens: *Grave nimis esse dignoscitur, quòd quidam Prælatorum ita in procurationibus graves existant, ut interdum Ecclesiastica ornamenta subditi (id est Clerici) exponere compellantur, quocirca statuimus ... Prohibemus etiam, ne subditos suos taliis & exactionibus Episcopi gravare præsumant.*

C. Prohibemus 7. eod. *Prohibemus insuper, ne ab Abbatibus, Episcopis vel aliis Prælatis novi Census imponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem redituum suis usibus appropriare præsumant, sed libertatem, quam sibi majores conservare desiderant, minoribus suis, bona voluntate conservent. Si quis verò aliter fecerit, irritum, quod egerit, habeatur.*

C. Ecclesiis 9. eod. *Ecclesiis, quas de novo Episcopi de manibus laicorum eripiunt, præter cathedraticum, & jura omnia, quæ aliis Ecclesiis imponuntur, exactionem prohibemus imponi.*

Re-

§. 2.

Reliquum ejusdem puncti probatur Bullâ Sixti V. superiùs n. 187. citatâ: *Si Episcopi aliter fecerint (subintellige: si nulla existente publica necessitate, si proprio motu & sinè consensu S. sedis Apostolicæ, & consensu Cleri publico, ut inferiùs dicetur) pœnis in Consilio Generali Lateranensi novissimè celebrato, & in Bulla die Cœnæ Domini legi solita, aliisq; Sanctionibus Apostolicis contra eos, qui etiam sponte offerunt, inflictis, eo ipso subjaceant.* 191

Pænæ Concilii Lateranensis, ad quas se refert ,, 192
Bulla Sixti V. adductæ sunt immediatè, n. 190. quod ,,
Concilium Lateranense fuerat novissimum, quia fuit ,,
inchoatum sub Iulio II. Pontifi: max: die 10 Mensis ,,
Maji Anni 1511. & terminatum die 16. Martii An- ,,
ni 1518. sub Leone X. Pontifi: Max: In hoc itaq; ,,
Concilio, decernitur, quod Prælati Ecclesiastici præ- ,,
fata præsumentes, incurrant ipsô factô pænam Ex- ,,
communicationis & Depositionis, & ad omnes a- ,,
ctus legitimos, inhabiles & intestabiles habeantur. ,,
Quæ pænæ à Bulla Cœnæ Domini, in omnes qua- ,,
vis etiam Pontificali dignitate insignitos innovatæ; ,,
ut supra n. 186.

ASSERTIO XVIII

Spirituales quoq; ipsi sponte prædicta onera solventes, excommunicationem summo Pontifici reservatam (de qua C. Cle-

Clericis de imm: Eccl: in 6.) incurrunt, cui licet per Clem: unic: eod: derogatum sit, eam tamen Sixtus V. pro Regno Poloniæ innovavit, & p. m. Clemens XI. pœnam suspensionis, excommunicationis & privationis ad quævis officia, tulit.

§. 1.

193 ADducitur primo C. Clericis 3. de imm: Eccles: in 6to. in quo Bonifacius VIII. sic dicit: Clericis Lai-
„ cos infestos oppidò tradit antiquitas, quod & præ-
„ sentium experientia temporum manifestè declarat,
„ dum suis finibus non contenti nituntur in vetitum,
„ ad illicita, fræna relaxant, nec prudenter attendunt,
„ quàm sit eis in Clericos, Ecclesiasticasvè Personas &
„ bona, interdicta potestas. Ecclesiarum Prælatis, Ec-
„ clesiis, Ecclesiasticisq; Personis Regularibus & Secu-
„ laribus, imponunt onera gravia, ipsosq; talliant
„ & eis collectas imponunt, ab ipsis suorum proven-
„ tuum vel bonorum, dimidiam, decimam, seu Vi-
„ cesimam, vel quamvis aliam portionem, aut quo-
„ tam exigunt, & extorquent, eosq; moliuntur mul-
„ tifariè subjicere servituti, suæq; submittere ditioni.
„ Et (quod dolenter referimus) nonnulli Ecclesiarum
„ Prælati Ecclesiasticæq; Personæ, trepidantes, ubi
„ trepidandum non est transitoriam pacem quæren-
„ tes, plùs timentes Majestatem temporalem offen-
„ dere, quàm æternam, talium abusibus non tam te-

mera-

merariè, quàm improvidè acquieſcunt, Sedis Apoſtolicæ authoritate ſeu licentia non obtenta. Nos igitur talibus iniquis actibus obviare volentes, de Fratrum Noſtrorum conſilio Apoſtolica authoritate ſtatuimus, quòd quicunq; Prælati Eccleſiaſticæq; Perſonæ Religioſæ vel Seculares quorumcunq; Ordinum Conditionis, ſeu ſtatûs, Collectas, vel tallias, decimam, Viceſimam ſeu centeſimam ſuorum & Eccleſiarum proventuum, vel bonorum, Laicis, ſolverint vel ſe ſoluturos conſenſerint, aut quamvis aliam quantitatem, portionem, aut quotam ipſorum proventuum vel bonorum æſtimationis, vel valoris ipſorum, ſubadjutorii, mutui, ſubventionis, ſubſidii vel doni nomine ſeu quovis alio titulo, modo vel quæſito colore, abſq; authoritate Sedis ejuſdem; nec non Imperatores, Reges, ſeu Principes, Duces, Comites vel Barones, Poteſtates, Capitanei, vel Officiales, vel Rectores, quocunq; nomine cenſeantur, Civitatum, Caſtrorum, ſeu quorumcunq; locorum conſtitutorum ubilibet, & quivis alii cujuſcunq; præeminentiæ, conditionis & ſtatûs, qui talia impoſuerint, exegerint, vel receperint, aut apud ædes ſacras depoſita Eccleſiarum vel Eccleſiaſticarum Perſonarum ubilibet arreſtaverint, ſaiſiverint, ſeu occupare præſumpſerint, vel arreſtari, vel ſaiſiri, aut occupari mandaverint, aut occupata ſai-

„ ſita ſeu areſtata receperint, nec non omnes, qui
„ ſcienter dederint in prædictis auxilium, conſilium,
„ vel favorem publicè vel occultè, eo ipſo ſententi-
„ am excommunicationis incurrant. Vniverſitates
„ quoq; quæ in his culpabiles fuerint, Eccleſiaſtico
„ ſupponimus interdicto. Prælatis & Perſonis Eccle-
„ ſiaſticis ſupradictis, in virtute Obedientiæ & ſub de-
„ poſitionis pæna diſtrictè mandantes, ut talibus abſq;
„ expreſſa licentia dictæ ſedis nullatenus acquieſcant:
„ quodq; prætextu cujuſcunq; obligationis promiſſio-
„ nis, & Confeſſionis factarum hactenus vel facien-
„ darum in antea, priuſquam hujuſmodi conſtitutio,
„ prohibitio, ſeu præceptum ad notitiam ipſorum per-
„ venerit, nil ſolvant, nec ſupradicti ſeculares, quo-
„ quo modo recipiant. Et ſi ſolverint vel prædicti
„ receperint, in excommunicationis ſententiam inci-
„ dant ipſo facto. A ſupradictis autem excommu-
„ nicationum & interdicti ſententiis, nullus abſolvi
„ valeat, præterquam in mortis Articulo, abſq; ſedis
„ Apoſtolicæ authoritate & licentia ſpeciali: Cum
„ noſtræ intentionis exiſtat tam horrendum ſecula-
„ rium Poteſtatum abuſum, nullatenus ſub diſſimu-
„ latione tranſire. Non obſtantibus quibuſcunq; pri-
„ vilegiis, ſub quibuſcunq; tenoribus, formis ſeu mo-
„ dis, aut verborum conceptione conceſſis Impera-
„ toribus, Regibus & aliis ſupradictis, quæ contra

præ-

præmissa, in nullo volumus alicui vel aliquibus „ suffragari.

Noto ex Glossa in c adductum: Pro intellectu 194 hujus capitis præsupponendum est, quod in C. non minus h. t. supra citato n. 184. dicitur Clericos posse conferre sponte subsidium laicis urgente necessitate, & in C. Adversus eod: citato n. 185. dicitur à Laicis non posse compelli Clericos ad solvendas tallias, possunt tamen Clerici per modum doni gratuiti contribuere, cum consensu tamen S. Sedis Apostolicæ. Sed Clericis per illud Capitulum, non erat imposita aliqua pæna. Unde eveniebat, quod multi Clerici plùs timentes homines quàm DEUM contribuebant ad hujusmodi tallias. Ob quam Causam Bonifacius VIII. tulit hoc Decretum, Quod Clerici etiam cum authoritate Diæcesani non possunt contribuere ad tallias Laicorum, etiam per modum doni absq; licentia Papæ, & contra facientes incurrunt excommunicationem soli Papæ reservatam; Et istud fuit introductum in favorem Clericorum. Item decrevit Pontifex, quod exigentes collectas à Clericis, vel à sponte dantibus accipientes, quemadmodum & ipsi sponte solventes, incurrant eandem excommunicationem, non obstantibus eorum Privilegiis. Ex hac constitutione nonnulla scandala & magna incommoda sunt secuta. His malis ut occurreret Clemens V. talem tulit Constitutio-

nem, quæ habetur titulo: de Immun: Eccl: cap. unic: in hæc Verba.

§. 2.

195 QUoniam ex Conſtitutione Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris Noſtri, quæ incipit: *Clericis Laicos*, „ & ex declaratione ſeu declarationibus, ex illa poſt „ modum ſubſecutis, nonnulla ſcandala, magna peri„ cula, & incommoda gravia ſunt ſecuta, & amplio„ ra ſequi (nisì celeri remedio ſuccurratur) præſumi„ tur veriſimiliter in futurum; Nos de conſilio Fra„ trum Noſtrorum, conſtitutionem & *declarationem, ſeu declarationes prædictas, & quidquid ex eis ſecutum eſt, vel ob eas, penitus revocamus, & eas haberi volumus, pro infectis; volentes & firmiter ſtatuentes, (contra quoſcunque Laicos exigentes, ſeu extorquentes ab Eccleſiis Eccleſiaſticisque Perſonis, tallias, ſeu Collectas, aut exactiones quaſcunque & contra dantes ad id faciendum, conſilium, auxilium, vel favorem nec non circa præſtandas ſubvectiones Laicis ab Eccleſiarum Prælatis, ac aliis viris Eccleſiaſticis) inviolabiliter obſervari, quod ſuper his á Prædeceſſoribus noſtris in Lateranenſi & generali Conciliis, quæ nos ſub obteſtatione Divini Judicii præcipimus obſervari, diſtrictè ſalubriter eſt proviſum.*

Ex hac conſtitutione Clementis V. conſtat, quod Clemens Papa, antiqua Jura de immunitate Eccleſiaſtica non ſuſtulerit, ſed nonnisì, declaraverit, pænam la-

latam in C. Clericis in ſponte ſolventes, & recipientes à ſponte ſolventibus, locum non habere: ut declaratur C. Quod olim in Extr. Conſum h. t. infra citando n. 201. Hanc tamen pænam Sixtus V. ſpecialiter pro Regno Noſtro Poloniæ innovavit in Bulla ſupra citata n. 187. his verbis: *Si Epiſcopi aliter fecerint, pænis in Concilio Generali Lateranenſi noviſſimè celebrato, & in Bulla die Cœnæ Domini legi ſolita, aliisq; ſanctionibus Apoſtolicis, contra eos, qui etiam ſponte offerunt inflictis, eo ipſo ſubjaceant.* Sciendum autem eſt, quòd in Corpore Juris antiqui nulla alia Sanctio Apoſtolica, contra eos, qui ſponte offerunt, pænam infligens, habeatur, præter citatam Bonifacii VIII. C. Clericis in 6. h. t.

§. 3.

PRobatur ultimum Brevi Clementis XI. ad Regnum 196
Poloniæ Miſſo, quod n. 321. citatur - - - *Quocirca Venerabilibus Fratribus dicti Regni Archiepiſcopis & Epiſcopis, ſub pæna ſuſpenſionis ab exercitio Eipiſcopalium & Interdicti ab ingreſſu Eccleſiæ præcipimus & mandamus, ne Decreta, Ordinationes, & Conſtitutiones hujuſmodi executioni mandari, necnon dictam taxam laicali authoritate abſq; Noſtro & dictæ Sedis conſenſu & beneplacito factam, exigi, multoq; minus ullam Perſonam Eccleſiaſticam ſivè ſecularem, ſivè Regularem ad forum laicale trahi, & ab eo, vel à quocunq; alio, quàm Eccleſiaſtico Tribunali judicari & puniri permittant. Omnibus verò, & ſingulis aliis ejuſdem*

Regni Personis Ecclesiasticis tam secularibus, quàm Regularibus in Virtute S. Obedientiæ, ac sub suspensionis & excommunicationis Majoris & privationis dignitatum, officiorum, Munerum & Beneficiorum Ecclesiasticorum per eos obtentorum, perpetuæq; inhabilitatis ad illa & alia similia vel dissimilia quæcunq; in posterum quomodolibet obtinenda, ipso facto, absq; alia declaratione incurrendis pænis, districtè prochibemus & interdicimus, ne prædictorum Decretorum, Ordinationum, Constitutionum, & taxæ vigore, quidquam etiam minimum, quovis modo, etiam subsidii vel subvectionis titulo, aut vexationum & molestiarum sibi illatarum vel inferendarum redemptionis prætextu, solvere, aut solvi facere, vel ad solutionem alicujus ex prædictis oneribus, impositionibus & gabellis, nisi illa prius, nostra & dicta Sedis authoritate approbata & confirmata fuerint, concurrere, multoq; minùs dictæ Generalis Confæderationis Sandomiriæ; aut cujusvis alterius Laicalis Tribunalis dicti Regni foro se se subjicere audeant, quovis modo, seu præsumant.

ASSERTIO XIX.

Etsi spirituales sponte & ex mera liberalitate subsidium Charitativum contribuere possint, tamen ad id aliquot cumulativè requiruntur conditiones, quarum vel unica non subsistente, nulla ratione contribuere possunt.

§. 1.

157 ANtequam probetur assertio, enumerantur Condi-

ti-

tiones, quæ ſunt hæ: 1. Ut contributionis faciendæ neceſſitas ſit, non tantùm communis Laicis & Clericis, ſed ſit ſummè magna, aut evidens utilitas ſubſit, cui relevandæ Laicorum facultates non ſufficiant. 2. Ut in caſu communis periculi, inquo ſubveniendum eſt Reipub, Epiſcopus cum toto Clero deliberet, an, & quantum Laicis contribuendũ ſit. 3*tio*. Ut Contributiones à Clericis fiant ſpontaneè, & abſq; ullâ Cleri coactione, vel ſecularium exactione. 4*to*. Ut priùs de tali contributione ſummus Pontifex conſulatur, & ejus habeatur licentia, ita, ut Clerici contribuere non poſſint, antequam ſummus Pontifex conſenſerit; niſì urgeret ipſarum Eccleſiarum, aut Perſonarum Eccleſiaſticarum nimia neceſſitas, & in mora periculum eſſet.

§. 2.

PRobatur aſſertio C. Non minus 4. h. t. ſupra cit. 198
p. 185. *Quo circa ſub anathematis diſtrictione fieri de cætero talia prohibemus; niſì Epiſcopus & Clerus tantam neceſſitatem vel utilitatem aſpexerint, ut abſq; ulla exactione ad relevandas communes utilitates vel neceſſitates, ubi Laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia per Eccleſias exiſtiment conferenda. Si autem Conſules aut alii &c.* Gloſſa intextum cit: dicit: ex arbitrio Epiſcopi dependet inſpicere hanc neceſſitatem, tamen aliquid conferre non debent, niſì ſuper hoc priùs Rom: Pontifex conſulatur.

199 C. Adversus 7. eod: supra cit: p. 186. *Verùm si quando forte Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem & utilitatē perspexerit, ut absq; ulla coactione ad relevandas utilitates vel necessitates communes, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia duxerit per Ecclesias conferenda, prædicti Laici humiliter & devotè recipiant cum gratiarum actione. Propter imprudentiam tamen quorundam, Romanus Pontifex priùs consulatur, cujus interest communibus utilitatibus providere. Quia verò &c.*

200 C. Quod olim Extrav. Com. h. t. Quod olim per fel: recor.
„ Bonifaciū P. VIII. Prædecessorē nostrū contra Laicos
„ exigentes, sivè recipientes à Clericis & Eccle: Personis
„ tallias, decimam, vel aliam quotam seu quantita-
„ tem aliquam de proventibus bonorum suorum aut
„ Ecclesiarum, necnon adversùs solventes, aut pro-
„ mittentes, vel consentientes se soluturos, pænis ad-
„ jectis statutum est, quantùm ad pænas ipsas ex cau-
„ sa de consilio Fratrum Nostrorum restringimus
„ ad exigentes tantummodo, & ad exigendum dan-
„ tes auxilium consilium, vel favorem, non autem
„ quoad easdem pænas in solventibus aut recipienti-
„ bus à sponte dantibus deinceps vendicet sibi locum.
„ Cæterum attendant solicitè Ecclesiarum Prælati &
„ alii Ecclesiastici Lateranense Concilium, quòd in
„ hujusmodi subventionibus solum casum necessitatis,
„ aut communis utilitatis, ubi Laicorum ad id non

sup-

ſuppetant facultates, deliberatione providâ noſcitur excepiſſe; & deinde Generale ſtatuiſſe Concilium, propter quorundam imprudentiam, etiam in hoc caſu Romanum Pontificem (cujus intereſt communibus providere utilitatibus) primitus conſulendum. Attentè igitur caveant, ne prædictorum Conciliorum tranſgreſsores exiſtant, aliquid in caſu prædicto, & multo magìs ſi caſus ipſe non ſubſit, quoquo modo vel titulo inconſulto Romano Pontifice occaſione ſubventionum dictarum concedendo Laicis, vel etiam promittendo. Alioquin tanquam Canonum & tam ſolennium Conciliorum temerarii tranſgreſſores, quas procul dubio DEO propitio idem infliget Pontifex, graviſſimas pænas poterunt meritò formidare. Nullli ergo omnino hominum &c.

§. 3.

ADduco huc Deciſionem S. R. Rotæ in Brunduſi- 201
na Gabellæ 15. Febr: 1604. coram Penia teſte Barboſa de Jure Eccl. l. 1. C. 29. de Privil: Cleric: §. 1. n. 8. f. 485. quæ declarat, poſſe quidem Clericos contribuere, ſi ſequentia copulativè concurrant. Primò: ut ſi adſit magna neceſſitas cui aliàs facilè ſubveniri non poſſit, niſi Clerici cum Laicis contribuant, ut probatur in d. c. Non minus ubi expreſſè notat Abbas, n. 5. v. 2. ſequitur & de cap Ad-

„ versùs de immun: Eccles. ubi Abb. n. 4. & clarius
„ apparet per extravag. Benedicti XI. sub tit. de im-
„ mun. Eccl. Secundo debet concurrere communis
„ utilitas, vel saltem pietas. ut in di. c. Non minus
„ & c. Adversus & cap. Pervenit. de imm. Eccl. &
„ de pietate consideravit text. in l. ad instructiones
„ C. de Sacrosan. Eccles. Tertiò oportet, quòd onus
„ illud sit tale, ut ad illud sustinendum Laici non
„ sufficiant; quia Clerici & Ecclesia solùm tenentur
„ cum Laicis contribuere in subsidium, & ubi Laico-
„ rum non suppetunt facultates ut in dict. cap. non
„ minus & cap. Adversus, quas conditiones conside-
„ ravit Benedictus in dict. Extravag. de immun. Eccl.
„ ibi. Cæterum soliciti attendant Ecclesiarum Præ-
„ lati & alii Clerici, Lateranense Concilium, quòd
„ in hujusmodi subventionibus solum casum necessi-
„ tatis, aut communis utilitatis, ubi Laicorum ad id
„ non suppetunt facultates, deliberatione provida no-
„ scitur excepisse. Quartò requiritur, ut ad onus
„ hujusmodi imponendum, vocetur & consentiat to-
„ tus Clerus; nec sufficeret Episcopus cum Capitulo,
„ quia quod omnes tangit, ab omnibus particulari-
„ ter debet approbari, cap. Cùm omnes de instit. cap.
„ Quòd omes de Regul. Jur: in 6. & probatur in di.
„ c. Non minus n. 4. & 5. notab. 4. Quintò in istis
„ oneribus imponendis ad effectum, ut Clerus tene-

atur

atur, potissimùm requiritur ut Papa consulatur, & ipso consulto, & non aliàs Clerici contribuant d. c. Adversus ubi notat Abb. n. 4. vers. 4 requiritur; & sic fuit expressè cautum per Benedictum XI. in d: Extravag: de immunit: Eccles: & meritò: quia si arbitrio Episcoporum & Cleri hoc relinqueretur, facilè contingerent hujusmodi impositiones & onera per ambitum, & preces Principum, & Ministrorum Laicorum, quibus occurrere solent Romani Pontifices, qui non aliter, quàm causa cognita istas facultates ut Clerici contribuant, concedere solent. Postremò requiritur, quòd ad hæc onera & impositiones solvendas, postquam prædictis requisitis concurrentibus imposita fuerint, Clerici & Personæ Ecclesiasticæ, non à Ministris Laicis, sed à suo Episcopo, & superiore Ecclesiastico compellantur; Principes enim & seculares potestates non possunt in his se intromittere. Ita. Innoc. in d. cap. non minus n. 6 vers: quamvìs ad ea. & Bald. in d. c. ad instructiones n. 5. vers. adhuc tamen & n. 6. vers. quod verò credo C. de Sacros. Eccl. & Innocentium & Baldum communiter sequuntur Doctores, & signanter Abb. in d. c. non minus n. 18. vers. dicit tamen de immun. Eccl. & Guid. Papæ decis. 18. in fine vers. si tamen dicti viri &c.

Hanc decisionem secuta est S. Congregatio

Emi-

„ Eminentissimorum Cardinalium, controversiis jurisdictionalibus præpositorum, cujus decretum vide infra n. 256.

202 Noto: quòd si Clerus justas habeat rationes: v.g. sciat malè informatam esse S. sedem Apostolicam &c. nec urgere summam necessitatem, potest præfatum subsidium Charitativum denegare; quemadmodum Anno D. 1422. Regnante Vladislao Rege practicatum est; ut testatur Cromerus l. 18. fol. 134. his verbis; *Cùm autem esset Rex in Polonia, poposcit Ordinem Ecclesiasticum quinque millia florenorum, quæ ei Pontifex Maximus exigenda concesserat. Verùm ea de Synodi sententia negata sunt, ne quid ejusmodi in consvetudinem veniret.*

§. 4.

203 Quæres Utrum Religiosi Mendicantes, qui in communi possident Bona immobilia, teneantur ad præfatas Contributiones? ℟. eos non teneri, nisi accedente speciali S. Sedis Apostolicæ consensu. Habetur super hac re præter Constitutionem Pij IV quæ incipit: *De statu Ecclesiarum*, Constitutio II. S. Pij V quæ incipit: *dum ad uberes*, cujus tenor talis.

§. 1. Hinc est, quod nos volentes eosdem mendicantium Ordines, & dilectos filios eorum Fratres „ & Monachos, cæterasq; Personas, ac etiam Moniales quaslibet ejusdem Ordinis sub illorum cura de-

degentes ſpecialibus favoribus & gratiis proſequi, „
motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc o- „
blatæ petitionis inſtantiam, ſed ex certa noſtra „
ſcientia ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, „
quod ex nunc deinceps perpetuis futuris tempori- „
bus, omnes & ſinguli Mendicantium Ordinum hu- „
juſmodi Fratres, Monachi, & dilectæ Filiæ in Chri- „
ſto Moniales ſeu ſorores, ac aliæ utriuſq; ſexus Per- „
ſonæ Regulares ubilibet per totum Chriſtianum „
Orbem diffuſi, & conſtituti, illorumq; Monaſteria, „
Cænobia, Domus, Conventus, Eccleſiæ, Capellæ, „
Oratoria, & alia loca etiam unita, ac membra, & „
dependentia, nec non terræ cultæ, & incultæ, poſ- „
ſeſſiones, prædia, agri, & alia omnia & ſingula, „
mobilia, & immobilia, ac ſe moventia, *& ubilibet* „
ac in quibuscunq; rebus conſiſtentia bona nec non eorũ „
in dictis bonis laboratores, coloni, arrendatarii, lo- „
catarij, & affictuarij, negotiorumq; ſuorum geſto- „
res univerſi, quomodolibet nuncupati, nunc & pro „
tempore exiſtentes in perpetuum, ab omnibus & „
ſingulis exactionibus, tam urbanis, quàm ruſticis, „
necnon datiis, gabellis, pedagiis, vectigalibus, col- „
lectis, impoſitionibus, & oneribus, ordinariis & „
extraordinariis, ac tam realibus, quàm perſonali- „
bus, meris & mixtis, etiam ſubſidio triennali, & „
augmento, ac focularibus, equorum taxis, Militumq; „

 ho-

„ hoſpitiis, ac aliàs quibuſcunq; Nominibus nuncu-
„ patis quavis Authoritate quomodolibet impoſitis,
„ & imponendis, & quæ Laicis ac aliis quibusvis
„ quomodolibet imponi conſueverunt, & in futurum
„ imponentur, ac ratione quarumcunq; mercium &
„ rerum cujuſcunq; generis vel qualitatis exiſtentium,
„ tam per mare & aquam dulcem, quàm per terram
„ undecunq; & quomodocunq; pro tempore delata-
„ rum, necnon animalium quorumcunq; mortuorum
„ & vivorum, & quæ aliàs quomodolibet & ex qua-
„ vis cauſa, ac ſuper quibuſcunq; rebus, tam in alma
„ Urbe noſtra, quàm extra eam ubilibet locorum exi-
„ guntur, & in futurum exigentur. Necnon à con-
„ tributionibus & ſolutionibus in illis faciendis, ac
„ tam pro victu & veſtitu, quàm quocunq; alio uſu
„ ſuo tantùm, ac tam emendo, quàm vendendo, &
„ aliàs quomodolibet negociando. Necnon etiam à
„ ſolutione quadrantis pro ſingulis libris carnium, de
„ animalibus, quæ nunc & pro tempore ex armentis
„ occidi contigerit; necnon etiam, quæ in ſuis ædi-
„ bus, prædiis & poſſeſſionibus privatim detinent;
„ & nutriunt; ac à contributione ſumptuum & expen-
„ ſarum, quæ aliquando pro pontibus, viis, aquæ du-
„ ctibus, muris, mænibus, aliisve machinis ſtruendis,
„ & reparandis, ſeu reficiendis, ac Civitatum, terra-
„ rum, & locorum quorumcunq; fortificationibus;

nec-

necnon etiam alias in omnibus, & per omnia ac ,,
tam in dicta Urbe, quàm extra eam ubilibet pe- ,,
nitus, & omnino liberi immunes, & exempti, ac ,,
liberæ & exemptæ, liberaq; immunia & exempta ,,
sint & esse censeantur, ac pro talibus teneantur ,,
& reputentur. Quodq; terræ, agri possessiones & ,,
loca arativa, ut præfertur in illis, quæ aliquando ,,
pro pascuis animalium ad certum tempus reservan- ,,
tur, nullatenus unquam comprehendèntur, nec com- ,,
prehendi censeantur.

§. 2. Ac etiam Monasteria, cænobia, aliaq; ,,
omnia Regularia loca prædicta, pro quorumcunq; ,,
militum, tam equitum, quàm peditum, hospitiis, ,,
quemadmodum magno cum nostro dolore huc- ,,
usq; in plerisq; locis factum comperimus, nequa- ,,
quam assignentur, nec assignari debeant.

§. 3. Et insuper, quod fructus, redditus, pro- ,,
ventus, introitus, & alia quæcunq; bona Monaste- ,,
riorum, Cænobiorum & aliorum locorum Regula- ,,
rium præfatorum, ab aliis, quàm à Syndicis & Pro- ,,
curatoribus Religiosis Fratribus, Monachis, & Mo- ,,
nialibus, aliisq; Personis præfatis, exigi, illaq; dun- ,,
taxat in beneficium loci, vel sustentationem ipso- ,,
rum Religiosorum Fratrum & Monialium expendi, ,,
nec per alios quoscunq; quovis nomine censeantur, ,,
nec in alium quàm præmissum usum converti, seu ,,

„ expendi possint neq; debeant, nisi de consensu Su-
„ periorum illius loci, cui lata, vel consignata, aut
„ donata fuerint, quem aliàs spectabunt, nec etiam
„ soli tutores aut curatores seu Protectores, & alio
„ Nomine Sanctesii aut aliàs nuncupati, de eisdem
„ bonis ullo modo disponere possint. Quodq; id i-
„ psum etiam de eleemosinis, oblationibus & quibus-
„ cunq; aliis donativis intelligi & observari debeat,
„ Apostolica authoritate tenore præsentium perpetuò
„ statuimus, ordinamus, volumus, & declaramus.

§. 4. Necnon Fratres, Monachos, Moniales, ac
„ aliàs Regulares Personas, eorumq; Monasteria Cæ-
„ nobia, Conventus, Ecclesias, Capellas, Oratoria &
„ alia loca ac terras, possessiones, prædia, agros, &
„ bona, necnon laboratores, Colonos, arrendatarios,
„ locatarios, affictuarios, ac gestores, prædicta, ut
„ præfertur, libera, immunia & exempta eisdem au-
„ thoritate & tenore facimus, ac fore & esse decer-
„ nimus. &c. &c.

§. 5. Districtiùs etiam in Virtute S. Obedien-
„ tiæ, & sub indignationis Nostræ ac excommunica-
„ tionis majoris latæ sententiæ, ac duorum millium
„ ducatorum auri de Camera pro una Basilicæ S. Pe-
„ tri de Urbe, & pro altera medietatibus singulis Mo-
„ nasteriis & locis præfatis, quæ molestari seu pertur-
„ bari contigerit, irremissibiliter applicandorum pæ-

nis

nis eo ipſo ſi & quoties contra factum fuerit, incurrendis; inhibentes tam illis, quàm dilectis Filiis Legatis, Vicelegatis, Gubernatoribus, Poteſtatibus, datiorum, gabellarum, onerum & aliorum præmiſſorum, exactoribus, Conductoribus, appaltatoribus, necnon quibusvis communitatibus, & Univerſitatibus, illarumq; Officialibus, & Perſonis aliiſq; quibuſcunq; ad quos ſpectat & quomodolibet ſpectabit in futurum, quatenus præmiſſa omnia & ſingula inviolabiliter & perpetuò obſervent, ac ab omnibus obſervari faciant; neq; Fratres Monachos, Moniales & alias Religioſas Perſonas, alioſq; ſupra dictos ſuper præmiſſis, quomodolibet moleſtent, & perturbent, neq; permittant per quoſcunq; quomodolibet moleſtari ſeu perturbari. Et ſi quis contradicere, aut quovis modo contravenire præſumpſerit, per mandatum executivum contra ipſum, cujuſcunq; dignitatis, ſtatûs, Ordinis, vel præeminentiæ fuerit, ipſo facto procedi.

§. 6. Et ſic per quoſcunq; Judices & Commiſſarios, quavis authoritate fungentes, ſublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, judicari & definiri debere; ac quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus.

§. 7. Quo circa Venerabilibus Fratribus, Patri-
„ archis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ſivè eorum Vi-
„ cariis in Spiritualibus Generalibus, necnon dilectis
„ filiis Curiæ Cauſarum Cameræ Apoſtolicæ genera-
„ li Auditori, ac Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis,
„ Dæcanis, Archidiaconis, Canonicis, & Capitulis ac
„ aliis, quarumcunq; Eccleſiarum Prælatis & Perſo-
„ nis ubilibet & in quibuſcunq; Regionibus Ter-
„ ris & locis exiſtentibus, & aliis ad quos quomo-
„ dolibet ſpectat & ſpectabit per præſentes motu ſi-
„ mili mandamus, quatenus ipſi & eorum quilibet
„ per ſe vel alium, ſeu alios, præſentes literas & in
„ eis contenta, quæcunq; ubi & quando opus fuerit,
„ ac quoties pro parte Fratrum, Monachorum, Mo-
„ nialium, aliarumq; Religioſarum Perſonarum præ-
„ fatarum fuerint requiſiti, ſolenniter publicantes,
„ illiſq; in præmiſſis efficacis defenſionis præſidio aſ-
„ ſiſtentes, faciant authoritate noſtra, illos & eorum
„ ſingulos, ſtatuto, ordinatione, voluntate, declaratio-
„ ne, conſtitutione, deputatione, mandato, inhibitio-
„ ne, decreto, aliiſq; præmiſſis, pacificè frui & gau-
„ dere, non permittentes eos deſuper per Camerari-
„ um, Præſidentes, Clericos, & Commiſſarios Came-
„ ræ hujuſmodi, necnon Legatos, Vicelegatos, Gu-
„ bernatores, Collectores gabellarum, & Exactores
„ prædictos, aut quoſcunq; alios ad aliquam ſolutio-
nem

nem, contributionem vel præstationem præmissorum occasione quomodolibet facienda, quovis modo cogi & compelli, aut aliàs contra præsentium tenorem quomodolibet molestari, perturbari, aut inquietari. Contradictores quoslibet & rebelles per prædictas aliasq; opportunas Censuras & pænas appellatione postposita compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pænas hujusmodi incurrisse declarando; interdictum Ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus sit, auxilio brachii secularis.

§. 8. Non obstantibus &c. Nec non quibusvis Apostolicis ac in Provincialibus & Synodalibus Concilii editis generalibus vel specialibus constitutionibus & Ordinationibus, etiam contra exemptos quomodolibet editis & edendis ac etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoq; indultis, & literis Apostolicis, illis & eorum singulis sub quibuscunq; tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiã derogatoriarum derogatoriis, aliisq; efficacioribus, efficacissimis ac in solitis clausulis, irritantibusq; & aliis decretis in genere & specie, etiam motu simili & ex certa scientia etiam consistorialiter, & aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus in contrarium concessis, appro-

„ probatis & innovatis, quibus omnibus, illorum tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter & expresse derogamus, contrariis quibuscunq; aut si aliquibus communiter vel divisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die 29. Julii 1560. Pontificatûs Nostri Anno primo.

ASSERTIO XX.

Quodsi consensus S. sedis Apostolicæ ad malam informationem obtentus est, vel quia preces veritate non nitebantur; in tali casu Rescriptum Apostolicum super danda contributione à Clero nullum est, & pro subreptitio ac obreptitio à Jure habetur.

§. 1.

204 PRobatur C. Ex parte 2. de Rescrip: dicitur: quòd in quolibet Rescripto Apostolico, subintelligatur hæc clausula: *si preces veritate nitantur*, etiamsi per expressum non apponatur. Ergo ut quis Rescriptum à S. sede Apostolica validum obtineat, narrata circa causam motivam debeant esse vera et non falsa; quodsi

falsa

falſa fuerint, etiam Apoſtolicum reſcriptum nullum erit. Item C. Ad audientiam 31. eod: dicitur, quòd reſcripta quæcunq; beneficialia & alia gratioſa ipſo jure nulla ſint, ſi obreptitiè impetrata fuerint. Et Gloſſa in Clemen: uni: de præben dicit: *Literæ gratiæ vitiantur, & ſunt ipſo jure nullæ, ſi fuerunt obtentæ per ſubreptionem.* Illa autem Reſcripta dicuntur ſubreptitia ſeu obtenta per ſubreptionem, quæ obtinentur tacita veritate, neceſſario & eſſentialiter de jure vel conſuetudine aut ſtylo Curiæ exprimenda. Obreptitia verò ſeu per obreptionem obtenta Reſcripta illa dicuntur, quæ narrata falſitate circa cauſam motivam, aut aliud ſubſtantialiter requiſitum, obtinentur. Illuſtrantur dicta: ſi quis procuret diſpenſationem vg in impedimento Matrimonii, vel in voto Religionis, &c. & cauſam motivam propona talem, quæ ſit falſa; in tali caſu diſpenſatio obtenta non valet. Item ſi cum quo diſpenſatum eſt in jejunio ex ea ratione, quòd ſit infirmus, ſi allegata ratio eſt falſa, diſpenſatio data, nulla eſt.

§. 2.

HActenus dicta, confirmantur Brevî Sanctiſſimi D. 205
Noſtri s m. Clementis XI dato ad Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum D. Hieronymum Grimaldi Archiepiſcopum Edeſſenum S. ſedis Apoſt: in Regno Poloniæ Nuntium.

CLEMENS PAPA XI.

VEnerabilis Frater Salutem & Apostolicam benedictionem. Pro parte Charissimi in Christo Filii Nostri Augusti Poloniæ Regis Illustris. Nobis expositum fuit, quòd cùm Dilecti Filii Nobis Viri Ordines Regni Poloniæ & Magni Ducatûs Litvaniæ in eorum Comitiis Generalibus die 1. Februarii proximè præteriti Varsaviæ habitis, de avertendis in posterum calamitatibus, quæ ob retardatas stipendiorum Militibus debitorum solutiones, Regnum & Magnum Ducatum hujusmodi non ita pridem miserè afflixerunt, conjunctis studiis egissent, salubriaq; cæpissent Consilia, ut stipendia præfatis militibus exactè deinceps persolverentur, in eamq; causam dicti Ordines eorundem Regni & Magni Ducatûs quasdam pecuniarum summas tribuere & conferre decrevissent, Venerabiles Fratres Archiepiscopi Episcopi, ac Dilecti Filii Clerus Universus præfatorum Regni & M. Ducatûs animo recolentes ingentia damna sibi etiam ex dilatis stipendiorum hujusmodi solutionibus enata, simulq; providè considerantes ob incertum inibi necdum integrè pacatarum statum, ac gravem, quam meritò verenda finitimi Turcarum Tyranni arma ingerunt formidinem, validas militum copias in Regno & Magno Ducatu præfatis, quibus eorum necessitatibus & periculis occurri ipsiusq; communis hostis insidiæ nefariiq; conatus, propelli valeant ex publica Religionis, Patriæq; securitatis, ac defensionis causa retineri & sub-

subsistere necesse esse, Laicorum verò facultates ad exsolvendam integram pecuniarum quantitatem ad præmissa necessariam non sufficere, aliisq; rationalibus ex causis adducti in summis ærarii publici angustiis contributionem per capita, sivè Capitationem ab universo Clero seculari & Regulari, dictorum Regni & M. Ducatûs solvendam, & in solutionem præfatorum stipendiorum erogandam, memorato Augusto Regi præstare & conferre obtulerunt, si Nostra & hujus S. Sedis super hoc licentia suffragetur, & facultas. Nobis propterea Augustus Rex ac Archiepiscopi, Episcopi & Clerus præfati, humiliter supplicari fecerunt; ut sibi in præmissis oportunè providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur specialem illis facere volentes gratiam, dictorumq; Archiepiscoporum & Episcoporum ac Cleri singulares Personas à quibusvis Excommunicationis suspensionis & Interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, Censuris & pœnis, à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequentiarum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Tibi, præfatis Archiepiscopis & Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, & aliis Personis Ecclesiasticis tam secularibus, quàm cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis etiam JESV, & instituti etiam Mendicantium, bona tamen immobilia possidentium, Regularibus eorundem Regni Poloniæ & M.D.L. ut contributio-

butionem per Capita, sivè Capitationem, præfato Augusto Regi, sponte tamen & ad biennium proximum, ac pro summâ, quæ eis videbitur duntaxat, præstare, & tribuere, ipsi autem Augusto Regi, ejusq; Ministris, ut eandem contributionem per Capita sivè Capitationem petere, & recipere, absq; conscientiæ scrupulo, ac Censurarum & pœnarum Ecclesiasticarum incursu, liberè, & licitè possint; dummodo tamen pecuniæ inde proventuræ in causam supra dictam, & non in alios usus convertantur & erogentur, authoritate Nostra Apostolica indulgendi, & licentiam concedendi, ipsosq; Archiepiscopos, Episcopos, Abbates ac alias Personas Ecclesiasticas, ac earum singulas, quatenus dictam contributionem per Capita, sivè Capitationem absq; Sedis præfatæ licentia promiserint aut solverint; necnon eundem Augustum Regem, ejusq; Ministros præfatos, si illam absq; hujusmodi licentia receperint, ab omnibus & singulis Censuris, & pœnis propterea, quomodolibet incursis, dicta authoritate absolvendi facultatem & potestatem, eadem authoritate tenore præsentium tribuimus, & impertimur. Tibiq; ut ad executionem præfatæ contributionis per Capita, sivè Capitationes, per Personas Ecclesiasticas tantùm, & non alias procedere debeas, authoritate præfata committimus & mandamus; contradictores & solvere recusantes, per Censuras & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna Juris & facti remedia eadem authoritate compescendo, non obstantibus Concilii Lateranen: & quibusvis Apostolicis Constitutionibus, ordinationibus, nec-

non

non quarumvis Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum Congregationum, Societatum, (etiam JESV) Institutorum, ac quibuslibet aliis etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consvetudinibus, privilegiis quoq; indultis, literis Apostolicis ac exemptionibus & immunitatibus etiam in Corpore juris clausis, quibusvis generaliter vel specialiter concessis, etiamsi de illis, eorumq; totis tenoribus de verbo ad verbum mentio, seu quævis alia expressio habenda & facienda sit; & in eis caveatur, expressè, quod per hujusmodi clausulas generales etiam mentionem specialem importantes eis derogatum esse non censeatur, aut derogari, videatur, nisi certis modò & formâ in illis expressis plenè observatis. Quibus omnibus, & singulis illorum tenores præsentibus pro plene & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice duntaxat speciales & expressè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscunq;. Volumus autem ut Pauperes Clerici, & Religiosi, qui in reditibus non habent nisi victum necessarium, ad contribuendum minimè compellantur. Vtq; præsentium Literarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarij publici subscriptis & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quàm extra illud adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Pisca-

toris die XIII. *Octob. M.DCCXVII. Pontificatûs Nostri Annno XVII.*

Er. Card. Oliverius

206 Ex præfato Brevi Apostolico, deducuntur hæc: 1. Quòd ut Clerici Contribuant subsidium Charitativum Laicis summa requiratur Necessitas contributionis faciendæ à Clero, cui relevandæ facultates Laicorum non sufficiant. 2. Quòd in talem contributionem priùs Episcopi & Clerus debeat consentire. 3. Quòd præfatus Cleri consensus non valeat. nisi accedat S. sedis Apostolicæ licentia. 4. Quòd Clerus spontaneè & non coactè eam contribuere debeat summam, quæ sibi videbitur. 5. Contributio data à Clero non debet converti in alios usus, præter eos, in quos est concessa 6. Si Clerus absq; licentia S. sedis Apostolicæ promittat Laicis, aliquam summam, vel solvat, tam ille, quàm accipientes incurrunt Censuras SS. Canonum. 7. Accedente consensu S. Sedis Apostolicæ contributio per Ecclesiasticas personas, & non aliàs exigi debet. 8. Renuentes contribuere, Censuris Ecclesiasticis, non executionibus militaribus compelli debent. 9. Clerici pauperes & Religiosi, qui ex redditibus solùm victum necessarium habent, à Contributione præfata liberi declarantur. &c. &c.

§. 3.

CONcludo dicta hactenus Decreto S. Concilii Trident

denc: ſeſſ. 22. c. 11. de Refor. Si quem Clericorum ,,
& Laicorum, quacunq; is dignitate etiam Imperia- ,,
li, aut Regali præfulgeat, in tantùm malorum o- ,,
mnium Radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ,,
Eccleſiæ, ſeu cujusvis ſecularis vel Regularis bene- ,,
ficii, Montium pietatis, aliorumq; piorum locorum ,,
jurìſdictiones, bona, Cenſus, ac Jura, etiam feudà- ,,
lia & emphyteutica, fructus, emolumenta, ſeu quaſ- ,,
cunq; obventiones, quæ in miniſtrorum & paupe- ,,
rum Neceſſitates converti debent, per ſe vel alios, ,,
vi vel timore incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas Per- ,,
ſonas Clericorum aut Laicorum, ſeu quacunq; ar ,,
te, aut quocunq; quæſito colore in proprios uſus ,,
convertere, illoſq; uſurpare præſumpſerit, ſeu im- ,,
pedire, ne ab iis ad quos jure pertinent, percipi- ,,
antur, is anathemati tamdiu ſubjaceat, quamdiu ,,
Jurìſdictiones, bona res, jura, fructus, & reditus, ,,
quos occupaverit, vel qvi ad eum quomodocunq; ,,
etiam ex donatione ſuppoſitæ perſonæ pervenerint, ,,
Eccleſiæ ejuſq; adminiſtratori, ſivè Beneficiato inte- ,,
gre reſtituerit, ac deinde à Romano Pontifice ab- ,,
ſolutionem obtinuerit. Quodſi ejuſdem Eccleſiæ Pa- ,,
tronus fuerit, etiam jure patronatûs ultra prædi- ,,
ctas pænas eo ipſo privatus exiſtat. Clericus verò ,,
qui nefandæ fraudis & uſurpationis hujuſmodi fa- ,,
bricator ſeu conſentiens fuerit, eiſdem pænis ſubja- ,,
ceat;

„ ceat nec non quibuſcunq; Beneficiis privatus ſit,
„ & ad quæcunq; alia beneficia inhabilis efficiatur;
„ & à ſuorum Ordinum executione etiam poſt inte-
„ gram ſatisfactionem & abſolutionem, ſui Ordina-
„ rii arbitrio ſuſpendatur.

PARS II.

De Immunitate Eccleſiaſtica Reali.

208 *Immunitas Eccleſiaſtica Realis eſt illa, qua gaudent Bona Eccleſiaſtica ita, ut à Vectigalibus, Tributis, Cenſibus & aliis muneribus laicis, ſint libera & immunia.*

209 PRænoto 1. Quod præfata Bona, alia ſint Bona Eccleſiarum, alia Bona Clericorum. Bona Eccleſiarum dividuntur in Bona mobilia, & immobilia; ſub immobilibus, non ſolùm fundi, prædia, domus, & ſimilia bona corporalia, quæ fixam radicem habent, comprehenduntur, ſed etiam Jura fructifera, ut Cenſus, quibus annui redditus reſpondent, ſervitutes & ſimilia bona perpetua, quæ incorporalia dicuntur, juxta juris conſuetudinem in Clemen: Exivi. § cum an-

nui redditus de V. S. comprehenduntur. Ad Bona mobilia reliquæ res omnes, Ecclesiæ usibus deputatæ, cujuscunq; valoris & æstimationis sint, referuntur. Hæc itaq; Bona Ecclesiarum, vel sunt propriè sacra & religiosa, quia vel per specialem benedictionem consecrata sunt, vel sunt instrumenta Divini cultus, & ad opera pietatis per se ordinata, qualia sunt, Vasa sacra, vestes, templum, cæmeterium &c. Vel sunt talia, quæ licèt non sint consecrata, spectant tamen ad Ecclesiam & ab illa denominantur Bona sacra, qualia sunt, Ecclesiarum fundi, prædia, redditus, proventus, Decimæ, Census &c. quæ ad augendum cultum DEI, decorem Ecclesiæ, & reparationem, ad sustentationem Servorum DEI & Ministrorum Ecclesiæ à fidelibus Deo sunt oblata, & vocantur Dos Ecclesiæ vulgò poświęcne. Clericorum Bona itidem mobilia vel immobilia, censentur à S. Thom: quodlib: 6. art. 12. duplicia. Alia quæ lucrantur Clerici ex Bonis Ecclesiæ, ut Decimis vel prædiis Ecclesiasticis, seu ex Beneficiis suis, quæ eis propter officium dantur, hæc S. Thomas vocat *Ecclesiastica*, utiq; lato modo, nos illa Clericalia appellabimus ad vitandam æquivocationē. Alia Bona sunt, quæ acquirunt Clerici, vel successione hæreditaria à Parentibus, vel donatione, vel industria, vel alia arte comparant, & hæc vocantur Patrimonialia, seu secularia. Ad hæc Bona Navarrus re-

ducit illa bona, quæ per actiones spirituales tanquam stipendia illarum, à Clericis comparantur: Ut sunt stipendia Missarum, Concionum &c. hæc bona appellantur, *quasi Patrimonialia*.

210 Prænoto 2. Nomine Ecclesiæ, de qua hic sermo, intelligi debet templum ipsum, quod ad usum sacrificii Sacramentorum, & ut in eo fideles ad orandum, & verbum DEI audiendum conveniant, dedicatum & consecratum est. Hæc Ecclesia considerari potest vel sub generali ratione rei sacræ, & sic habet exemptiones & immunitates, cæteris rebus sacris, cum quibus in illa generali ratione convenit, communes; de quibus in præsenti; vel considerari potest sub ratione propria loci seu Domûs, quæ ad custodiendas vel protegendas Personas, quæ in ea existunt, vel ad illam confugiunt, vel ad custodiam rerum, quæ in ea collocantur, ordinatur. Et sub hac ratione Ecclesiæ, loca quoq; sacra, habent sua propria Privilegia, de quibus Capite sequenti.

211 Prænoto 3. Onera, de quibus hic quæri potest, sunt triplicia Quædam dicuntur merè realia, quæ ipsis Rebus vel Bonis (quia talia sunt) sinè respectu ad Personæ qualitatem sunt imposita jure perpetuo & invariabiliter, ita, ut tamdiu durent, quamdiu res ipsæ durant. Quædam verò onera sunt merè Personalia, quæ Personis subditis sinè respectu ad Bona earum Patrimonia-

monialia, quæ fortassis nulla habent, imponuntur; prout est capitationis exactio &c. Hæc tributa purè Personalia appellari solent nomine *Census* ut habetur: Matth: 17. Quædam deniq; onera sunt mixta, quæ imponuntur Personis subditis, cum respectu tamen ad bona earum, ita, ut immediatè quidem Personis imposita sint tributa illa, mediatè verò Bonis, quæ habent.

Agendum itaq; 1mò de Bonis Ecclesiarum, utrū hæc subjaceant aliquibus Tributis & Oneribus. 2dô de Bonis Clericorum tam Clericalibus, quàm Patrimonialibus; utrum quoq; ab oneribus sint immunia.

PUNCTUM I.

De Bonis Ecclesiarum.

ASSERTIO I.

Bona Ecclesiarum tam Mobilia quàm immobilia propriè sacra, sunt immunia à communibus usibus, vel ministeriis, nec ad usus profanos possunt applicari.

§.

PRobatur. Quia Sancta debent sanctè tractari, sed quæ DEO sunt dicata, & consecrata sunt sacra, ergo debent sanctè tractari, & ad profanos usus non possunt transferri. Unde C. Vestimenta de Consecrat. 212

 dist.

dist. 1. dicitur. *Vestimenta Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, & sacrata debent esse, & honesta, quibus, aliis in usibus non debent frui, quàm in Ecclesiasticis & Deo dignis officiis.* Et C. Ligna ibid: *Ligna Ecclesiæ dedicata non debent ad aliud opus jungi, nisi ad aliam Ecclesiam, vel igni sunt comburenda, vel ad profectum in Monasterio Fratribus; in Laicorum verò usum non debent admitti.* Regula Juris in 6. *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulteriùs transferendum.* Sic calix consecratus non potest adhiberi ad usum profanum. Et ita in lege veteri vasa templi in magna erant veneratione. Undè Daniel: 5. Balthazar Rex Babyloniæ, qui vasa templi in convivio suo profanare ausus est, statim Divinam sensit vindictam.

ASSERTIO II.

Omnia Bona Ecclesiarum, sivè decori earum, sivè sustentationi Ministrorum Ecclesiæ applicata, exempta sunt Jure Divino à Jurisdictione Laicali. Per solos Ministros Ecclesiasticos administrari debent.

§. 1.

213 PRobatur. C. Nulli 12 q. 2. *Nulli liceat ignorare, omne, quod Domino consecratur, sivè fuerit homo sivè animal, sive ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, Sanctum Sanctorum Domino erit, & ad jus pertinebit Sacerdotum.* Ibidem C. Prædia. *Prædia Divinis usibus tradita*

dita, quidam humanis applicant usibus, & Domino, cui tradita sunt, ea subtrahunt; ut sibi inserviant. Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia, usibus secretorum cælestium dicata, à quibusdam irruentibus vexentur. Concili: Lateranense sub Leone X. sess: 9 de Refor: Curiæ. §. Et cùm fructuum: sic dicit: *Et Cùm fructuum Ecclesiarum* Cathedralium & Metropolitanarum, Monasteriorumq; & aliorum „ quorumcunq; beneficiorum Ecclesiasticorum plena- „ ria dispositio & administatio ad nos & Romanũ „ Pontificem pro tempore existentem, & illos etiam, „ qui ejusmodi Ecclesias, Monasteria & beneficia ju- „ re & canonicè obtinent, solùm pertinent, Secula- „ resq; Principes omni etiam divino jure id prohi- „ bente, dictis Ecclesiis, Monasteriis, ac beneficiis in- „ tromittere se nullatenus debeant, statuimus & or- „ dinamus, ut fructus, redditus, & proventus Eccle- „ siarum Monasteriorum ac beneficiorum per secula- „ res illos Principes, etiamsi Imperator, Reges, Regi- „ næve, seu Respublicæ, vel Potentatus fuerint, aut „ per eorum officiales, seu Judices etiam Ecclesiasti- „ cos, vel quascunq; alias personas, publicas vel pri- „ vatas, de eorundem, Imperatoris, Regum, Regina- „ rumvè ac Principum, Rerumq;publicarum vel Po- „ tentatuum mandato sequestrari occuparivè, aut mo- „ do aliquo detineri (pleniùs infrà citabitur) *valeant.* „

Idem Lex Civilis summa in de rer: divis: dicit: *summa rerum divisio in duos articulos deducitur. Nam aliæ sunt Divini juris, aliæ humani. Divini juris sunt, veluti res sacræ, & religiosæ; sanctæ quoque res divini juris sunt. Quod autem divini juris est, id nullius in bonis est.*

214 Hinc S. Ambrosius ad Marcellinam sororem „ Epis 33. de se scribit: ut habetur C. Convenior 23. „ q 8. *Convenior ipse* à Comitibus, & tribunis, ut Ba„ silicæ fieret matura traditio, dicentibus, Imperato„ rem jure suo uti, eo quod in potestate ejus essent „ omnia. Respondi, si à me peteret, quod meum es„ set, id est fundum meum, argentum meum, jus „ hujusmodi meum, me non refragaturum, quan„ quam omnia, quæ mea sunt, essent pauperum; ve„ rum ea, quæ divina sunt, Imperatoriæ potestati non „ esse subjecta. Si patrimonium petitur? invadite; „ si corpus? occurram. Vultis in Vincula rapere? „ vultis in Mortem? voluptati est mihi, non ego „ me vallabo circumfusione populorum, nec altaria „ tenebo, vitam obsecrans; sed pro altaribus gratiùs „ immolabor - - & infrà: Mandatur: trade Basilicam, „ hoc est (dic aliquod Verbum in Deum, & mo„ rere) nec solùm dic adversus Deum, sed etiam fac „ aduersùs Deum. Mandatur: trade Altaria DEI, „ Urgemur igitur præceptis Regalibus, sed confirma„ mur Scripturæ sermonibus, quæ respondit (Tan-

quam

quam una ex insipientibus locuta es) - - & infra Allegatur: Imperatori licere omnia, ipsius esse universa. Respondeo. Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ divina sunt, imperiale aliquod jus habere, noli te extollere; sed si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus. Scriptum est (quæ sunt DEI, Deo; quæ Cæsaris Cæsari) Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mæniûm jus commissum est, non sacrorum &c. Et in Oratione contra Auxentium *Nabuthe &c*: Nabuthe Sanctum virum possessorem vineæ suæ scimus interpellatum petitione regia, ut vineam suam daret, ubi Rex succisis vitibus, olus vile sereret, eumq; respondisse (absit, ut ego Patrum meorum tradam hæreditatem) - - - si ille vineam non tradidit suam, nos trademus Ecclesiam Christi? Quid igitur à me responsum est contumaciter? Dixi enim conventus; absit à me, ut tradam Christi hæreditatem. Si ille Patrum hæreditatem non tradidit, ego tradam Christi hæreditatem? Sed & hoc addidi: absit ut tradam hæreditatem Patrum, hoc est Dionysii, qui in exilio causâ fidei defunctus est; hæreditatem Eustorgii Confessoris, hæreditatem Myroclis, atq; omnium retrò fidelium Episcoporum. Respondi ego, quod Sacerdotis est. Quòd Imperatoris est facit Impera.

tor.

„ tor. Priùs eſt, ut animam mihi, quàm fidem aufe-
„ rat &c. Tributum Cæſaris eſt? non negatur. Eccle-
„ ſia DEI eſt, Cæſari utiq; non debet adijci; quia
„ Jus Cæſaris eſſe non poteſt Templum DEI. Et ſu-
„ prà in eadem Oratione: ſi de meis aliquid poſcere-
„ tur, aut fundus, aut domus, &c. id, quod mei ju-
„ ris eſſet, reſpondi, me libenter offerre; Templo
„ DEI nihil poſſe decerpere, nec tradere illud, quod
„ cuſtodiendum, non tradendum acceperim. Deinde
„ conſulere me etiam Imperatoris mei ſaluti; quia
„ nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Ac-
„ cedit, quòd Bona Eccleſiæ appellentur Patrimonium
„ Chriſti. C. Cum ex eo 34. de elect. in 6. in quòd
Gloſſa V. *Chriſti* notat: *Dominium Bonorum Eccleſiarũ eſſe penes Chriſtum.* Item Gloſſa in c. *Expedit* 12. q. 1. V. *communes* ſic habet: *Quæritur: quis ſit Dominus Rerum Eccleſiaſticarum? nunquid Pauperes dicuntur eſſe Domini?* --- *Alii dicunt quòd ipſe DEUS.* C. qui Chriſti 12. q. 2. ſic dicitur: *Qui Chriſti pecunias & Eccleſiæ aufert, fraudat & rapit, ut homicida in conſpectu Judicis deputabitur.* Ex quo textu infero: Ergo pecuniæ (intellige & reliquæ res) Eccleſiæ, ſunt ſimul etiam Chriſti, proinde Dominium illarum eſt penes Chriſtum. Concilium quoq; Trident. ſeſſ. 21. c. 1. de Refor. dicit: *Res Eccleſiaſticas eſſe DEI.* Si itaq; Bona Eccleſiarum ſunt Bona DEI & Chriſti, conſequens eſt, quòd ſint

exem-

exempta à Jurisdictione Laicali, multo magìs, quàm Bona Regalia sunt exempta à Jurisdictione cujusvis plebis.

§. 2.

QUòd administratio Bonorum Ecclesiæ ad solos Mi- 215
nistros Ecclesiasticos spectet, probatur C. Episcopus 12. q. 1. *Episcopus, Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem ad dispensandum erga omnes, qui indigent, cum summa reverentia, & timore DEI: Participet autem & ipse, quibus indiget (si tamen indiget) tam in suis, quàm in Fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus profuturis, ita ut in nullo qualibet occasione fraudentur, juxta S. Apostolum sic dicentem: (habentes victum & tegumentum, his contenti simus)* Et C. Præcipimus ibidem. *Præcipimus, ut in potestate sua Episcopus Ecclesiæ res habeat. Si enim animæ hominum pretiosiores illi sunt creditæ, multò magìs oportet curam pecuniarum gerere, ita ut potestate ejus indigentibus, omnia dispensentur per Presbyteros & Diaconos, & cum DEI timore, & omni solicitudine ministrentur.* Et Concilium Trident: sess. 25. c. 1. de Refor: *Optandum est, ut ii, qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes, agnoscant, ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad labores & solicitudines pro DEI gloria vocatos esse intelligant; nec enim dubitandum est, & fideles reliquos ad religionem innocentiamq; faciliùs inflammandos, si Præpositos suos viderint, non ea, quæ mun-*

di sunt, sed animarum salutem, ac cælestem patriam cogitantes. Hæc cùm ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam præcipua esse, sancta Synodus animadvertat, admonet Episcopos omnes, ut secum ea sæpe meditantes, factis etiam ipsis ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant. Imprimis verò ita mores suos omnes componant, ut reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac, quæ nos tantopere commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum Nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solùm jubet, ut Episcopi modesta supellectili, & mensa, victu contenti sint, verum etiam in reliquo Vitæ genere ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod à Sancto hoc instituto sit alienum; quodq; non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum, præseferat. Omnino verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ, consanguineos familiaresve suos augere studeant, cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ DEI sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis, ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causâ; imò quàm maximè potest, eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes propinquosq; carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium exstat, penitus deponant. Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscunq; beneficia Ecclesiastica tam secularia, quàm Regularia obtinentibus, pro

gradus sui conditione observari, sed & ad S.R.E Cardinales pertinere decernit; quorum consilio apud Sanctissimũ Romanum Pontificem cùm universalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non iis, etiam virtutum insignibus ac vivendi disciplinâ eos fulgere, quæ meritò omnium in se oculos convertant.

In statuto quoq; Regni Nostri sic habetur l. 2. p. 1. tit. 1. leg. 5. *Thesauri Ecclesiarum, ut integrè conserventur statuimus: ut Domini Episcopi in Civitatibus & Bonis Nostris, una cum Capitaneis seu Tenutariis Nostris, in Bonis verò Nobilium cùm Collatoribus Inventaria argenti, seu aliarum rerum pretiosarum in Ecclesiis conscribant.* 216

Præfatam verò exemptionẽ esse de Jure Divino, sat clarè constat ex dictis -- n. 111.

ASSERTIO III

Eadem Bona Ecclesiarum sunt immunia á legibus Civilibus, ita ut circa illa nihil in particulari disponi possit; sunt item libera á solutione, quorumvis tributorum.

§. 1.

PRimum Probatur iisdem rationibus & textibus Juris, quibus assertio V. Par. 1. Pa. 2. vide dicta n 106. & seq. Et ratio est. Quia tales leges Civiles, quæ aliquid disponunt de Bonis Ecclesiarum sunt nullæ, utpote sinè jurisdictione factæ, nam sicut Civilis Magistratus, aut Princeps non habet potestatem admi- 217

niſtrandi Bona Eccleſiaſtica, ita nec juriſdictionem habet ad ferendas leges, per quas diſponat aliquid circa eadem Bona. Item. quia Bona Eccleſiarum, eo ipſo, quòd ſpeciali titulo facta ſunt Divina, & ſpiritualia per ſpecialem habitudinem ad ſupernaturalem finem, conſtituta ſunt extra objectum & materiam juriſdictionis temporalis.

§. 2.

218 SEcundum probatur iiſdem Juribus, quibus Aſſertio 6. loco citato. Vide dicta n. 114. & ſequent. Et ratio eſt: quia Tributum eſt: ſignum ſubjectionis; cùm ergo nec Eccleſiæ, nec earum bona ſint ſubjecta poteſtati ſeculari, neq; etiam Tributis ſecularibus ſubjici poſſunt. Item Dominus Bonorum Eccleſiaſticorum, qui ipſemet eſt Chriſtus Dominus, non poteſt eſſe ſubjectus tributis, ergo nec Bona Eccleſiarum, quæ ſunt propria Chriſti, & veluti proprium ejus, ut Concilia loquuntur, Patrimonium poſſunt eſſe ſubjecta tributis. Solutio enim talium tributorum, non ab alio, niſi ab ipſo Chriſto Domino deberet exigi; cùm Miniſtri Eccleſiaſticorum Bonorum, non ſint Domini, ſed nonniſi adminiſtratores & diſpenſatores nomine Chriſti, cùm majori vel minori plenitudine poteſtatis.

219 Accedit quòd C. ſecundùm Canonicam. 23 q. 8. dicitur: *Secundùm Canonicam authoritatem & conſtitutionem Domini Imperatoris Ludovici, de Eccleſiaſtico agro*

& manso, & de mancipiis, quæ ipse suis capitulis constituit, vel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus Ecclesiæ fuerit, de decimis etiam & oblationibus fidelium, nullus quemquam Presbyterorum aliquem censum persolvere cogat, nec quisquam cujuslibet ordinis, vel dignitatis exinde quidquam subtrahat, aut redhibitionem quamcunque exigat temporalem. Et C. sancitum ibid: quòd idem est cùm C. 1. de Censib. *Sancitum est, ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer, absque ullo servitio attribuatur, & Presbyteri in eis constituti, non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de atriis, vel de hortis juxta Ecclesiam positis, neque de præscripto manso, aliquod servitium faciant, præter Ecclesiasticum.*

Constantius & Constans Imperatores, immunitatem Ecclesiæ dederunt hîs verbîs (ut habetur C. In qualibet Civitate ibid.) *In qualibet Civitate, in quolibet oppido, vico,* Castello, municipio, quicunq; voto Christianæ Religionis meritum eximiæ singularisq; „ virtutis omnibus intimaverit; securitate perpetua „ potiatur. Gaudere enim & gloriari ex fide semper volumus, scientes, magìs Religionibus, quàm „ officiis & labore corporis, vel sudore, nostram Rem- „ publicam contineri. Gratianus quoq; Valentinia- „ nus & Theodosius decreverunt dicentes: Univer- „ sos, quos constiterit Custodes Ecclesiarum esse, vel „ Sanctorum locorum, ac religiosis obsequiis deser- „ 220

„ vire nullius attentationis moleſtiam ſuſtinere de-
„ cernimus. Imperator Juſtinianus Sancimus, res ad
„ venerabiles Eccleſias, vel xenones, vel Monaſteria,
„ vel prochotrophia, vel brephotrophia, vel orpha-
„ notrophia, vel gerontocomia, vel denique aliud ta-
„ le conſortium deſcendentes ex qualicunq; curiali
„ liberalitate, ſivè inter vivos ſivè mortis cauſa, ſivè
„ in ultimis voluntatibus, habita, à lucrativorum in-
„ ſcriptionibus liberas eſſe & immunes; legè ſcilicet-
„ quæ ſuper hujuſmodi inſcriptionibus poſita eſt, in
„ aliis quidem perſonis, ſuum robur obtinente, in
„ parte autem Eccleſiaſtica, vel aliarum domuum,
„ quæ hujuſmodi piis conſortiis deputatæ ſunt, ſuum
„ vigorem pietatis intuitu mitigante, Cod. Theod.
„ l. 16. tit. 2. le. 16.

221 Voces hujus legis explico. *Xenones* ſeu *Xenodochium*, eſt locus venerabilis, in quo pauperes peregrini recipiuntur. *Prochotrophium*, eſt locus, ubi pauperes paſcuntur. *Brephotrophium*, eſt locus, in quo infantes pauperum aluntur. *Orphanotrophium* eſt locus, in quo pueri parentibus orbati aluntur. *Gerontocomium* eſt locus, in quo ſenes & valetudinarii, & propter ſenectutem ſolam infirmi homines curantur.

Idem habetur in L. Placet. L. Jubemus L Privilegia C. de ſacroſan: Eccleſ.

ASSER-

ASSERTIO IV.

Non solùm novis tributis onerari non possunt, præfata Bona, verùm etiam ab illis quibus onerata fuerant, priusquàm ipsi Ecclesiæ acquirerentur, libera sunt.

§. 1.

PRobatur. Cap. Quia Nonnulli 1. h. t. in 6. (vide 222
illud supra p. 123.) dicitur. Quibuscunq; *qui jurisdictionem temporalem* exercent non licere tallias vel collectas, seu exactiones quascunq; Ecclesiis -- imponere vel exigere ab eisdem pro domibus, prædiis, vel quibuscunq; possessionibus ab eisdem Ecclesiis legitimè hactenus acquisitis vel in posterum *acquirendis*. Hæc lex ex ea occasione lata est, quia Laici, volebant cogere Ecclesias, ut hæc solverent onera realia ex Bonis suis, cum talibus oneribus acquisitis, vel ea dimitterent. Jus itaq; Canonicum decrevit, *non licere quascunq; collectas seu exactiones imponere vel exigere, tum de bonis acquisitis, tum acquirendis*; hoc est: non licere, non solùm novas exactiones bonis Ecclesiarum acquisitis vel acquirendis *imponere*, sed etiam *non licere, exigere* antiquas exactiones, quæ fuerant annexæ Bonis Ecclesiasticis, antequam ad Ecclesias pervenissent, vel quæ cum talibus oneribus realibus ab iisdem Ecclesiis in posterum acquirentur.

Ex illis quoq; Christi Verbis Matth: 17 *ergo* 223

libe-

liberi sunt filii, sic argui potest: Naturalis Filius Regis ita est exemptus à tributis merè Personalibus, ut etiam bona ejus immunia fiant à tributis realibus; & quemadmodum gaudet Privilegio Naturali, ut super bona ejus jam sua non imponantur nova tributa, ita quoq; gaudet hoc privilegio, ut si de novo acquirat talia bona, quæ apud alios subditos fuerant tributaria, sub suo dominio fiant libera & immunia. Ergo multo magìs Christus, & Bona ejus Ecclesiastica gaudent hoc privilegio.

224 Ratio quoq; est: Quia Tributa realia, sicut jure subjectionis imponuntur Bonis, ita eodem jure exiguntur & solvuntur. Sed Bona quæcunq; eo ipso, quia fiunt Ecclesiarum bona, desinunt esse subjecta Principi Laico, quia extra ejus jurisdictionem fiunt, incipiunt enim esse Bona Ecclesiæ seu Patrimonium Christi & ejus jurisdictionis. Sicut autem Princeps Laicus nullam habet jurisdictionem in ipsam Ecclesiam, multò magìs in Christum Dominum; ita nec in Bona ejus. Ergo eo ipso, quòd talia Bona, fiant Ecclesiæ Bona & Christi Patrimonium, fiunt exempta ab omnibus tributis, quæ in sola jurisdictione fundantur.

225 Noto si præfata Bona fuerant tributaria alicui vel ratione contractûs vg. Censualis, vel alio justitiali titulo tunc illa onera realia annexa Bonis, necessario

riò redimi vel remitti debent, ut in dictis Bonis, Ecclesia maneat libera, nec ulli Jurisdictioni Laicali subjecta: seu talia Bona debent amortisari. Amortisatio autem seu Morticinium, est facultas possidendi Bona immobilia sine onere solvendi tributa, quæ in ante solvebantur. Hæc amortisatio seu dispensatio debet fieri à Principe vel à Rep: vel ab eo cui solvebantur ea tributa. Imò nec ipse Patronus Ecclesiæ potest aliquam pensionem de illis Bonis Ecclesiæ in dotem datis sibi ab Ecclesia præstandam reservare. Tenetur tamen Ecclesia in casu extremæ egestatis suo Patrono subvenire. C. Nobis de Jure Patron.

ASSERTIO V.

Quæ dicta sunt de Bonis Ecclesiarum, eadem dicenda sunt de Bonis Religiosorum Bona immobilia possidentium, nempe, quod etiam hæc sint Patrimonium Christi, & pari exemptione cum Bonis Ecclesiarum gaudeant.

§ .1.

ANtequam probem. Noto 1. Quod Religiosi non 226
solùm Non Medicantes, sed etiam Mendicantes, (qui ex Regula & constitutionibus non permittuntur habere possessiones stabiles, sed ex eleemosynis ostiatim emendicatis alimenta, & alia necessaria sibi comparare tenentur) possint habere Bona Immobilia. Probatur id Concil: Triden: sess: 25. c. 3. de Regular:

Concedit S. Synodus, omnibus Monasteriis & Domibus tam Virorum, quàm mulierum & Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum S. Francisci Capucinorum, & eorum, qui Minorum de observantia vocantur (huc spectant Domus Professæ Soc: Jesu ex constit: Pauli III. Julii III. Gregorij XIII.) *etiā quibus aut ex consuetudinibꝰ suis erat prohibitū aut ex Privilegio Apostolico non erat concessū, ut deinceps Bona eis Immobilia possidere liceat. Quodsi aliqua loca ex prædictis, quibꝰ authoritate Apostolica similia Bona possidere permissū erat, eis spoliata sint, eadem omnia illis restituenda esse decernit. In prædictis autem Monasteriis & Domibus tam Virorum quàm Mulierum, Bona immobilia possidentibus, is tantùm Numerus constituatur, ac in posterum conseruetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commodè possit sustentari. Nec de cætero similia loca erigantur sinè Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, licentia priùs obtenta.*

227 Noto 2. Quòd, quamvìs Religiosi tam non Medicantes, quàm Medicantes, possideant Bona immobilia in communi, nullus tamen illorum in particulari, nec superior quidem potest habere dominium & jus proprietatis in illa Bona, idq; ratione Paupertatis Voto solenni Deo promissæ. Præfatorum Bonorum dominium est penes ipsum Deum, cui immediatè à Fidelibus & Fundatoribus Domorum Religiosarum donata sunt, & dicata, juxta dicta p. 163. Admini-

stra-

ſtratio verò eorundem Bonorum eſt penes ipſas Religioſas Communitates, ſive earum ſuperiores. Ita declaratum eſt etiam à Concil. Trident. ſeſſi: 25. c. 2. de Regular. Nemini Regularium tam Virorum „
quàm Fæminarum, liceat Bona immobilia vel mo- „
bilia, cujuſcunq; qualitatis fuerint, etiam quovis „
modo ab eis acquiſita tanquam propria, aut etiam „
Nomine Conventûs, poſſidere vel tenere; ſed ſta- „
tim ea ſuperiori tradantur, Conventuiq; incorpo- „
rentur. Nec deinceps liceat ſuperioribus Bona ſta- „
bilia alicui Regulari concedere etiam ad uſum, fru- „
ctum, vel uſum, adminiſtrationem aut commen- „
dam. Adminiſtratio autem Bonorum Monaſterio- „
rum ſeu Conventuum ad ſolos Officiales eorundē „
ad nutum ſuperiorum amovibiles, pertineat. Mo- „
bilium vero uſum, ita ſuperiores permittant, ut „
eorum Supellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi „
ſunt, conveniat; nihilq; ſuperflui in ea ſit, nihil „
etiam, quòd neceſſarium eis denegetur.

Hoc totum Clemens VIII. in Decretis ſuis Anno 1599. & 1604. editis confirmavit his verbis.

§. 2. Quò Tridentini Concilii Decreta de „ 228
Paupertatis voto cuſtodiendo fideliùs obſerventur, „
præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamſi Supe- „
rior ſit, Bona immobilia vel mobilia, aut pecuni- „
am, proventus, Cenſus, eleemoſynas, ſive ex Con- „

 cioni-

„ cionibus, sive ex lectionibus aut pro Missis tam in
„ propria Ecclesia, quàm ubicunq; celebrandis, alioq;
„ ipsorum justo labore & causa, & quocunq; nomi-
„ ne acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum aut
„ piorum largitiones, legata aut donationes fuerint,
„ tanquam propria, aut etiam nomine proventus pos-
„ sidere possit, sed ea omnia statim superiori tradan-
„ tur, & Conventui in corporentur, atq; cum cæte-
„ ris illius Bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus
„ confundantur; quo communis inde victus & ve-
„ stitus omnibus suppeditari possit. Neq; superio-
„ ribus, quicunq; illi sint ullo pacto liceat eisdem Fra-
„ tribus, aut eorum alicui, Bona stabilia etiam ad usum
„ fructum vel ad usum, administrationem aut com-
„ mendam, etiam depositi aut custodiæ nomine con-
„ cedere. Eorum verò, quæ ad necessitatem concessa
„ erunt, nullus quidquam possideat, ut proprium,
„ neq; ut proprio utatur. Qui in præmissorum ali-
„ quo deliquerit, pænas nedum à Concilio Tridenti-
„ no præscriptas, sed aliàs quoq; multò graviores su-
„ periorum arbitrio imponendas incurrat. Nulla
„ quorumcunq; superiorum dispensatio, nulla licentia
„ quantũ ad bona mobilia vel immobilia Fratres ex-
„ cusare possit, quominus culpæ & pænæ ab ejusdẽ Con-
„ cilii Decretis impositæ, & ipso facto incurrendæ obno-
„ xii sint; etiamsi superiores asseverent hujusmodi

di-

dispensationes aut licentias, concedere posse, qui- „ bus in ea re fidem minimè adhiberi volumus. Hæc omnia Urbanus VIII. sua Constitutione edita Anno 1624. quæ incipit: *Romanus Pontifex*: observari precepit.

Patet itaq; ex adductis Decretis, quòd Superiores Domorum Religiosarum non sint Domini, sed solum Administratores Bonorum immobilium, ex illisq; proventus & fructus, non ad quosvis usus, expendere possunt, præterquam in Victum & Vestitum singulorum Religiosorum, ac in necessaria tum ipsis Religiosis, tum eorum muniis exercendis, qualia sunt, Templum, Sacristia, Bibliotheca, habitatio, sartatecta &c. Item iidem Superiores non possunt ulli Religioso concedere usum alicujus rei cum dominio & proprietate ejusdem.

Adverto. Cum dicitur Bonorum immobilium 230
dominium propriè esse penes Deum: non esse intelligendum, quasi Deus incipiat habere aliquod dominium illorum Bonorum, quod antea non habuit; DEI enim omnia sunt, & eorum supremus est Dominus; sed quòd illa Bona Monasteriis à Fidelibus applicata, incipiant esse sacra, Deo dicata, Patrimonium Christi, & desinant esse, in Bonis alicujus hominis, nec possint amplius dici Patrimonium & Bona hominis, ut colligitur & Instit: de rer: divis: §. Nullius. Vide dicta n. 155. & 215. His prænotatis.

§. 2.

PRobatur assertio Constitutione Clementis VIII. quæ est talis.

CLEMENS PAPA VIII

231 *RE ligiosæ Congregationes ab insigni Sanctitate Viris Spiritûs Sancti afflatis institutæ, tantas Ecclesiæ DEI utilitates omni tempore attulerunt, ut ad eas conservandas & instaurandas Romani Pontifices Prædecessores Nostri magnam jure optimo diligentiam semper adhibuerint, Nam cùm ea sit rerum humanarum conditio & natura, ut etiam quæ optimè fundata & constituta sunt, partim hominum imbecillitate, & ad malum proclivitate, partim Dæmonis astutia paulatim deficiant, ac nisi cura pervigili sustententur, in deterius prolabantur. Idcirco summorum Pontificum vigilantia magnopere laboravit, ut Regularium Ordinum disciplina aut labefactata in pristinum restitueretur, aut salutaribus constitutionibus communita integra atq; incolumis permaneret. Quorum Nos vestigiis pro eodem Officii munere insistere, & Pastoralem illorum solicitudinem (quantùm possumus) Divina adjutrice gratia cupimus imitari.*

§. 1. Quare ne ex muneribus, quæ à pluribus Religiosæ vitæ Professoribus ex Christi Patrimonio, quibusvis hominibus quavis ex causa sæpe tribuuntur, gravia incommoda & mala etiam boni specie existant, præcavere studentes, hac nostra perpetuò valitura Constitutione universis &

sin-

singulis cujuscunq; Ordinis Mendicantium vel Non Mendicantium Bona immobilia & redditus certos ex indulto Apostolico possidentium vel non possidentium, seu cujusvis Congregationis Societatis & Instituti (non tamen Militiæ) Regularibus Personis utriuslibet sexus, omnem & quamcunq; largitionem & missionem munerum penitus interdicimus.

§. 2 sub qua prohibitione comprehendi volumus omnia & singula Capitula, Conventus, Congregationes, tam singulorum Conventuum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, Præceptoriarum, Domorum & locorum, quàm Provincialia aut Generalià cujuslibet Provinciæ sive universi Ordinis, Societatis, Instituti, eorumq; vel earum Cancerarios, Commissarios, & quoscunq; Officiales, & singulares Personas, ipsos etiam Ordinum, Congregationum, & Societatum hujusmodi superiores, quascunq; dignitates obtinentes, etiam Generales & Provinciales, Magistros, Ministros, & quocunq; Nomine Præfectos, necnon Conventuum, Monasteriorum, Prioratuum, Præposituràrum, Præceptoriarum Domorum & locorum quorumcunq; Abbates, Priores, Præpositos, Præceptores, etiam Majores, Guardianos, Ministros, Rectores, atq; Abbatissas, Priorissas, & alio quovis titulo præsidentes tam ipsis Regularibus, quàm locorum Ordinariis, seu quibusvis superioribus, subjectas, utriusq; sexus ad vitam vel ad tempus deputatos, adeo, ut nemo unquam eorum vel earum, directè vel indirectè palam vel occultè tam communi, quàm particulari & proprio Nomine etiam sub

quo-

quovis statuti vel consuetudinis, seu veriùs corruptelæ, aut alio prætextu vel quacunq; causa, nisi in Generali Capitulo, aut alia Generali Congregatione, re maturè discussa, unanimi consensu omnium superiorumq; permissu causa approbata fuerit, quidquam tale attentare valeat.

§. 3. Id autem ita absolutè & generatim vetitum intelligatur, ut neq; omnino fas sit quidquam donare, tam ex fructibus, redditibus, proventibus, collectis vel contributionibus, aut oblationibus, sive eleemosynis aut subsidiis certis vel incertis, Ordinariis, seu extraordinariis Mensæ seu Massæ communis, vel cujusvis fabricæ & Sacristiæ, quorum Bona communiter, ut præfertur, administrantur, seu quæ rationibus reddendis sunt obnoxia, quàm ex pecuniis etiam, quæ à singulis, quovis modo acquisitæ in commune conferendæ omnino sunt. Nec si per viam voluntariæ contributionis in commune congerantur. Nec si forsitan privatim & nominatim cuilibet, Religioso à superioribus, vel à propriis affinibus, propinquis, familiaribus, amicis aut benevolis, vel à piis Christi fidelibus, etiam eleemosynæ aut charitatis, & illius propriæ Personæ intuitu attributæ, seu quoquomodo per quemlibet Religiosum, suo Monasterio, Domui aut loco acquisitæ, eiq; ut ad libitum de eis disponat, per superiores concessæ fuerint, præterquam leviora esculenta aut poculenta, seu ad devotionem vel Religionem pertinentia munuscula, communi tantùm, nunquam verò particulari Nomine (ubi superiori de consensu Conventûs videbitur) tradenda. Sed

&

& hujusmodi missiones munerum, ipsis Religiosis utriuslibet sexus, non solum per se, verùm etiam per alios tam directè, quàm indirectè, probibitas declaramus.

§. 3. Neq; verò quispiam ab hac generali probibitione se excusare valeat, etiamsi munera miserit cuivis Personæ Laicæ, vel Ecclesiasticæ cujuscunq; status, gradûs, dignitatis, ordinis, vel conditionis, & quavis non solùm mundana, & Ducali, Regia, Imperiali, verùm etiam Ecclesiastica & Pontificali, aut alia majori, etiam S.R.E. Cardinalatûs dignitate fulgenti, etiam proprio Loci Ordinario, etiam ex causa & occasione Benedictionis vel susceptionis Habitûs Regularis, tonsuræ, aut Professionis Monialium, tam sibi subditarum, aut ipsi etiam proprio Ordinis vel Congregationis Protectori, Viceprotectori, Generali vel Provinciali, aut cujusvis Monasterii, Prioratûs, Domûs, aut cujuslibet alterius loci Regularis Superiori, aut alio quocunq; Officio, munere aut dignitate fulgenti, vel cuicunq; etiam simplici & particulari Religioso; ita ut inter ipsos quoq; Religiosos, (ne prava ambitione impulsi pro consequendis in sua Religione gradibus & dignitatibus, alter alterius gratiam aut benevolentiam aucupetur) quæcunq; largitio aut donatio munerum (nisi rerum minimarum de licentia expressa & in scriptis superiorum) sit penitus interdicta.

§. 5. Insuper probibemus ne unquam eisdem Regularibus liceat ullas pecunias, quoquomodo erogare in alicujus etiam Benefactoris, aut Protectoris, vel Ordinarii honorem,

etiam occasione transitûs, vel primi ingressûs, aut ad beneficiorum acceptorum memoriam, gratiq; animi testificationem, seu pro prædictis Personis, quavis authoritate vel dignitate fungentibus, honorificè, lautè, & oppiparè excipiendis, seu pro quibusvis conviviis eisdem, aut cuivis alteri, quacunq; occasione vel causa exhibendis vel pro commessationibus, aut compotationibus quibusvis Personis tam ejusdem ordinis, Congregationis, Monasterii, Domûs, aut loci, quàm extraneis largiendis, aut pro exhibendis, spectaculis etiam intra Ecclesias, Monasteria, & Domos sacras seu pias, vel extra eas, in quibusvis publicis aut privatis, sacris aut profanis locis, etiam ubi Sanctorum & Sanctarum vita, aut res piè gestæ etiam in memoriam Passionis Dominicæ populis spectandæ proponuntur, aut aliàs in prædictis, sive in quibusvis rebus supervacaneis ad pompam & ostentationem, aut ad oblectationem vel paucorum lucrum & privata commoda quomodolibet pertinentibus, nisi re ipsa pro divino cultu & veris Christi pauperum indigentiis, servato in hoc charitatis ordine, & habita necessitatis ratione, de consilio & consensu Superiorum sublevandis, aut aliàs in rebus licitis & per Capitulum Generale aut Proviciale non prohibitis, vel taxam ibi forsan præscriptam non excedentibus, sumptus hujusmodi fiant.

§. 6. *Declarantes tamen per hæc, laudabilem & Apostolicâ doctrinâ sacrisq; Canonibus commendatam hospitalitatem præsertim erga pauperes & peregrinos, nequaquam imminui*

minui aut prohiberi. Quinimo si qui redditus ad id vel ex fundatione, vel ex institutis, statutis, aut consuetudinibus aliquorum Monasteriorum Ordinum, aut Regularium hujusmodi locorum, aut ex testatorum vel donantium voluntatibus, sive aliàs applicati aut donati sunt, eos omnino, ut decet, integrè in usus pios hospitalitatis hujusmodi erogandos esse, & præsertim in Monasteriis, seu locis desertis & à Laicorum ædibus longiùs remotis, ubi tamen pauperum & verè egenorum ratio imprimis habeatur. Si quos verò ditiores occasione transitus, sive aliàs ex devotionis aut necessitatis causa eo diuertere contigerit, eos sanè deceret Refectorio communi cum Religiosis, mensaq; & ferculis communibus, nequaquam à cæteris distinctis contentos esse. Verùm omnino ipsi Regulares in hospitibus, hujusmodi potentioribus excipiendis ita segerant, ut in eis frugalitas & paupertas Religiosa prorsus eluceat.

§. 7. Pari etiam ratione distinctè inhibemus, ne quispiam ex prædictis Laicus aliàs, quàm ut superiùs dictum est, vel Clericus Secularis vel Regularis, quocunq; honore, præeminentia, nobilitate aut excellentia etiam S. R. E. Cardinalatûs dignitate præditus, etiam Protector, Vice-Protector, Loci Ordinarius, Prælatus, Generalis, Provincialis, aut Monasterii, Domûs, vel loci cujuslibet superior, eorumve affines, propinqui, familiares, aut Ministri, utriusq; sexus, quidquam contra hanc superius expressam prohibitionem recipiant. Quodsi vel ab aliquo particulari Religioso, vel à Su-

periore quopiam Generali, Provinciali, aut alio quocunq; Officio fungente, aut à Conventu, Capitulo vel Congregatione, sive ab universo Ordine & Religione quidquam receperint, id quod acceperint, suum non faciant; verum ipso facto, absq; aliqua monitione Judicis Decreto, sententia, aut declaratione ad illius restitutionem omnino in utroq; foro teneantur; adeo, ut restitutione ipsa realiter non facta, neq; etiam in foro conscientiæ absolvi possint. Hanc autem restitutionem fieri volumus non privatim ei Religioso, qui donavit, sed ei Monasterio, Domui, vel alteri loco, de cujus bonis facta est largitio; vel si non de eis Bonis donatum est, in quo idem Religiosus donans professionem emisit, vel si nomine totius Capituli, Conventûs aut Congregationis vel universi Ordinis seu Religionis donatio facta exstiterit, pariter communi mensæ aut Massæ cujus nomine donatum fuerit, accepta munera restituantur, ita, ut nec qui donavit, nec Conventus, Capitulum, Congregatio, Ordo aut Religio, cui restitutio facienda est, illam remittere, & iterum condonare, aut recipientem ab obligatione restituendi eximere, vel ut in pauperes eroget, concedere quoquomodo possit.

§. 8. Quodsi quis ex supra dictis Regularibus utriuslibet sexus, cujuscunq; gradus, Ordinis dignitatis ac ubilibet locorum existentibus conjunctim cum cæteris seu divisim Nostrarum hujusmodi prohibitionum, statutorum, Ordinationum, jussionum, Decretorum, mandatorum, transgressor fuerit; statuimus, ut omnibus & singulis per eum obtentis dignit-

gnitatibus gradibus, muneribus & Officiis, eo ipso privatus, ac ad illa & alia similia vel dissimilia in futurum obtinenda, inhabilis perpetuò & incapax, ac perpetuâ infamiâ & ignominiâ notatus existat. Et præterea privationem vocis activæ & passivæ, absq; ullo superioris decreto aut ministerio ipso facto incurrat; necnon ultra hujusmodi pænas etiã tanquam contra furti & simoniæ criminum reum, tam per viam denuntiationis, accusationis, aut querelæ, quàm etiam ex officio procedi & inquiri, condignisq; suppliciis affici debeat. Pænis aliis à Jure statutis, ac per alias constitutiones Apostolicas, aut propria cujusvis Ordinis, Congregationis, Monasterii, Domûs aut loci statuta vel consuetudines contra Personas aliquid præmissorum committentes, forsan decretis & inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.

§. 9. Quocirca universis & singulis modernis & pro tempore existentibus Locorum Ordinariis, eorumq; Ordinum, Prioratuum Monasteriorum & Domorum Superioribus, etiam Generalibus seu Provincialibus, cæterisq; ad quos spectat, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi & eorum singuli, quantum ad eos pertinet, curent omni studio, diligentia, authoritate, & Vigilantia præsentem Constitutionem firmiter & inviolatè observari, & contra inobedientes, vel transgressores condignîs pænîs animadverti; eosdem inobedientes, necnon contradictores quoslibet & rebelles per opportuna juris & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit auxilio brachii secularis.

§. 10. *Non obstantibus constitutionibus & Ordinationibus &c. &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrorum Interdicti, probibitionis, declarationis, inhibitionis, statuti, mandati, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare, præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI ac BB. Petri & Pauli Apost: ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ in Monte Quirinali Anno Incarnationis Dominicæ M.D.XCIV. XIII. Kal Julii Pontific: Nostri Anno tertio.*

§. 3.

232 NOto Quòd temporibus Urbani Papæ VIII. èx occasione præfatæ Constitutionis Clementis VIII. exorta fuerant aliqua dubia, ac sanctissimo ad resolutionem proposita, super quibus, ab eodem talis emanavit decisio perpetuis temporibus observanda.

URBANUS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

NUper à Congregatione nonnullorum Romanæ Curiæ Prælatorum, coram Dilecto Filio Nostro An-
„ tonio Tituli S. Petri ad Vincula Presbytero Car-
„ dinali S. Onuphrij nuncupato, Majori Pænitentia-
„ rio, ac Nostro in Alma Urbe Provicario in spiritua-
„ libus Generali, & Nostro secundùm carnem Fratre
„ Germano à Nobis deputata emanavit declaratio te-

noris

noris subsequentis; videlicet. Cum circa interpre- „
tationem Constitutionis fel: recor: Clementis VIII. „
sub data XIII. Kalen: Julii Pontificatûs sui Anno „
III. de largitione munerum Regularibus utriusq; „
sexus interdicta, nonnullæ difficultates & ambigui- „
tates sint exortæ; Congregatio specialiter à Sanctis- „
simo D. N. Urbano Divinâ Providentiâ Papa VIII. „
coram Eminentissimo Cardinali S. Onuphrii Ma- „
jori Pænitentiario ac Urbis Provicario deputata, „
authoritate sibi attributa declaravit, & declarat, „
munera à Religionis utriusq; sexûs tribui posse ex „
causis gratitudinis, conciliationis Benevolentiæ, „
eiusq; conservationis, erga ipsam Religionem vel „
Conventum, aliisve causis ex sui natura actum vir- „
tutis & meriti continentibus modestè tamen, ac „
discretè, & dummodo id non fiat, nisì de superio- „
rum localium, licentia, ac etiam cum consensu ma- „
joris partis Conventûs, si talis consensus de Jure, „
vel ex Constitutionibus seu Consuetudinibus cujusq; „
Religionis respectivè, in hujusmodi casibus requi- „
ratur Consensum verò Conventûs in §. 3. ejusdem „
Constitutionis ad leviora esculenta aut poculenta, „
seu ad devotionem & religiositatem pertinentia „
munuscula largienda &c requisitum, intelligi de- „
bere de consensu aliàs de Jure requisito, & ubi con „
currit ambitionis suspicio, qua cessante, nec in his „
requi-

„ requiri licentiam superiorum in scriptis in §. 4. e-
„ jusdem Bullæ requisitam, sed sufficere licentiam e-
„ tiam oretenus eisdem concessam, declarat. Comes-
„ sationes autem compotationes & convivia in exci-
„ piendis, præsertim Benefactoribus, Protectoribus,
„ vel Ordinariis honorificè & laute, de quibus in §.
„ 5. & 6. ejusdem Constit: censeri tantummodo pro-
„ hibita, si decentiæ status Regularis adversentur.
„ Restitutionem verò receptorum Conventibus faci-
„ endam, de qua in §. 7. ibidem cautum est, intel-
„ ligi debere de Conventibus, ad quos data, donata,
„ seu missa de jure pertinent, si id commodè fieri po-
„ test, aliàs Conventui ejusdem Religionis viciniori
„ loco, ubi petita fuit absolutio, restituantur. Insu-
„ per eadem facultate sibi tributa, omnes, qui
„ hucusq; adversus supra dictæ Constitutionis Capi-
„ tula hic moderata largiti fuerunt, vel receperunt,
„ à pœnis quibuscunq; in eadem Constitutione infli-
„ ctis & incursis, posse & debere à propriis Confes-
„ sariis absolvi in foro Conscientiæ, etiam non facta
„ prius hujusmodi rerum donatarum, seu datarum
„ restitutione. Quo ad eos verò, qui præter modum
„ prædictum graviori Religionis detrimento, largien-
„ do vel recipiendo, transgressi sunt, sed ob inopiam
„ restituere nequeunt, eadem Sanctitas, concedit Ma-
„ jori Pœnitentiario, ut de præteritis usq; ad diem

datæ

datæ præsentium in foro conscientiæ absolvat, di- „
spenset, & condonet, seu absolvi dispensari & con- „
donari mandet, prout in Domino magis expedire „
judicaverit. Et ne prædictæ Clementis VIII Con- „
stitutionis memoria dilabatur, superiores Locales „
cujuscunq; Monasterii, Conventûs, Domûs, ac Col- „
legii Regularis, sub pæna privationis Officii, vo- „
cisq; activæ & passivæ ipso jure incurren: efficere „
tenentur, ut in perpetuum singulis annis mense Ja- „
nuario, non solum prædicta Constitutio (quam in „
reliquis ejus partibus eadem sanctitas omnino ob- „
servari jubet, & quatenus opus sit, innovat, quem- „
cunq; prætensum non usum, aut prætensum usum, „
seu prætensam consuetudinem damnando & irritan- „
do) verum etiam hoc Decretum in aliqua publica „
Congregation, vel saltẽ in publica mensa perlegantur. „
Omnibus tã EcclesiasticisPersonis etiamRegularibus, „
quàm Laicis, cujuscunq; sint Ordinis, Conditionis „
gradus, ac dignitatis, etiam speciali notâ dignis & „
qui sub generali dispositione, non comprehedentur „
prædictam Clementis Constitutionem contra præ- „
sentis Decreti tenorem declarandi, vel interpretan- „
di facultate penitus interdicta, super quibus Sanctis- „
simus mandavit expediri Breve. Datum Romæ „
die 15. Septembr: 1640. Quapropter ut præmissa „

„ firmiùs subsistant, & inviolabilitér observentur, „ quantum cum Domino possumus, providere volen„ tes, motu proprio, & ex certa scientia ac matura „ deliberatione Nostris deq; Apostolicæ potestatis ple„ nitudine, declarationem præinsertam cum omnibus „ & singulis in ea contentis tenore præsentium per„ petuo confirmamus, & approbamus, illisq; inviola„ bilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac o„ mnes & singulos tam juris, quàm facti defectus, si „ qui desuper quomodolibet intervenerit, suplemus, „ inviolabiliter ab omnibus, ad quos spectat, & spe„ ctabit in futurum, observari, sicq; & non aliter in „ præmissis per quoscunq; Judices Ordinarios & De„ legatos etiam Causarum Palatij Apostolici Audito„ res, ac S.R.E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, „ & quosvis alios quacunq; authoritate fungentes, sub„ lata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & „ diffiniri debere, ac irritum & inane, si secus super „ his à quoquam quavis authoritate scienter vel igno„ ranter, contigerit attentari decernimus, Non ob„ stantibus quo ad ea, quæ declarationi prædictæ & „ præsentibus sunt contraria vel diversa Constitutio„ ne fel recor. Clementis Papæ VIII. prædecessoris „ nostri prædicti, omnibus illis, quæ idem Clemens „ in Constitutione hujusmodi voluit non obstare; cæ„ terisq; contrariis quibuscunq;. Datum Romæ a-

pud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris. Die XVI. Octobris. M.D.C.XXXX. Pontificatus Nostri Anno VIII.

§. 4.

EX adductis Constitutionibus Patet 1. Quòd Bona 233
Immobilia Religiosorum sint Patrimonium Christi. Proinde juxta dicta n. 223. sunt libera à quibusvis oneribus & Contributionibus. Hinc si quis illa invadat, sequestret. devastet. vel aliquid illis injuriosum inferat, sibi ea usurpando, vel alteri adjudicando, ipsi Christo injuriam facit, ac sacrilegium committit, Censurasq; incurrit cum onere restitutionis.

Confirmatur id Concilio Lateranen: supra cita- 234
to n. 214. de fructibus Monasteriorum & Ecclesiarum sic dicente: Et si sequestrati fuerint, occupativè aut detenti, integrè liberèq; ac sinè exceptione vel morà Prælatis, ad quos de jure legitimèq; spectant restituantur; de quibus, si dissipati nunquam reperiri possint, eorum justa æstimatione facta, dictis Prælatis satisfieri volumus per eos, qui dictas sequestrationes, applicationes, dissipationesq; fecerint, aut fieri mandaverint, sub pæna excommunicationis, aut Interdicti Ecclesiastici talium Principum terris & dominio eo ipso incurrendis. Et ut eorum ac eisdem subjectorum Bona ubicunq; reperta, si monitis parere noluerint, capi & retineri possint. Ipsi

„ verò contra facientes, tam ſupra dictis pœnis, quàm
„ privationis feudorum & privilegiorum quæ à Nobis
„ & Romana vel aliis Eccleſiis, nunc è pro tempo-
„ re obtinuerint, & aliis contra Violatores & oppreſ-
„ ſores libertatis Eccleſiaſticæ etiam per extravagan-
„ tes & aliàs conſtitutiones, etiam incognitas, & for-
„ ſan in uſu non exiſtentes, impoſitis, quarum omni-
„ um tenores pro expreſſis & inſertis habentes, in-
„ novamus, ac perpetuum firmatis robur habere de-
„ cernimus, & declaramus, ac ſecundum eas per quos-
„ cunq; Judices, etiam S.R.E. Cardinales, ſublatâ &
„ ademptâ eis aliter judicandi declarandiq; poteſtate,
„ ſententiari, judicari, & interpretari debere volumus
„ atq; mandamus.

235 Patet. 2. Quòd ſi nullus Religioſus etiam Prælatus poteſt facere largitiones & donationes gratuitas ex proventibus & fructibus Monaſterii, quas ſi faciat, incurrit pœnas in Conſtitutione ſtatutas, ac contra eum tanquam Criminis furti & Simoniæ reum procedendum eſt, multo magìs fructus & proventus Monaſterii non poteſt expendere in Contributiones iniquas.

236 Patet. 3. Si accipientes à præfatis Religioſis largitiones & donationes, non fiunt domini datarum ſibi rerum, & tenentur eas reſtituere, à fortiori dicendum eſt, quod per vim extorquentes aliquas ex iiſdem

Bonis Contributiones, vel ad eas præstandas, inducentes obligationes, nullum in illas acquirant Dominium, ac obligentur ad restitutionem, Censurisq; Ecclesiasticis juxta dicta, innodentur.

§. 5.

COnfirmantur dicta. 1. Cum Fundatores Domorum Religiosarum ex sua pietate & liberalitate in Deum fundant aliquos Religiosos vel Moniales, id præstant non intuitu Personarum humanarum, sed solius DEI, ab eo mercedem uberrimam sperantes ex promissione Christi: *Quamdiu fecistis uni de his Fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Matth. 25. *Da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo* Ibid: c. 19. Dant Deo temporalia, ut ab eo æterna recipiant; dant terram, ut accipiant cælum; dant fundos, ut illos commutent in Regnum æternum duraturum. Privant se bonis temporalibus, ut mereantur audire in tremendo illo totius Mundi Judicio, *Venite benedicti Patris mei possidete paratum vobis Regnum &c.* Ergo Bona immobilia Religiosis Cænobiis à Fundatoribus applicata, DEI sunt. Item si nunc resurgerent iidem Fundatores, & quæreretur ex illis: qua intentione Vos vestra Bona immobilia Monasteriis incorporastis? Deumne vel quem hominum illorum instituistis hæredem? Hominibus ne illa vel DEO donastis? quid putamus ad hæc responderent? quid nos ipsimet in simili casu responderemus? 137

238 Religiosi Mendicantes, qui nullas habent possessiones, sed ex puris eleemosynis vivunt, non tenentur quidquam ex iisdem eleemosynis contribuere in communem Laicorum usum; impiusq; esset, qui ab illis id exigeret in contributionem, quod eis titulo eleemosynæ in solam sustentationem à suis Benefactoribus datum est. Ergo idem dicendum est de Religiosis Mendicantibus possessiones stabiles habentibus. Consequentiam antequam probem.

239 Sciendum est 1. Quòd Religiosi Mendicantes possidentes Bona stabilia, æquè sint Mendicantes, & vi Regulæ teneantur ex eleemosynis vivere, atq; illi qui Bona non possident, sed ex puris eleemosynis sustentantur. Hæc unica inter illos est differentia, (præcisis aliis de jure) quòd Mendicantibus non possidentibus Bona Benefactores sui in singulos dies, intuitu pauperis Christi, provideant victum, & eorum necessitatibus ac indigentiis, toties, quoties, necesse est, subveniant; Mendicantibus verò Bona immobilia possidentibus, Benefactores & Fundatores sui, semel pro semper stabilem & perpetuam pariter intuitu pauperis Christi in singulos annos ex Bonis immobilibus percipiendam in proventibus & fructibus providerunt eleemosynam, ut sic provisi, non medicando ostiatim (ut tenentur, ex Regula, vel vi Voti) commodiùs suis Religiosis vacent muniis & obsequio animarum

marum

marum. Proinde redditus & proventus ex Bonis, quæ permittente Concilio Triden: supra citato n. 227. possident, sunt pura eleemosyna stabilis & perpetua, quæ non in alios usus, preterquam in sustentationem & necessaria præfatorū Mendicantium expendi debet.

Sciendum 2. Quòd lege Ecclesiasticâ cautum 249 sit, ne plures Personæ ad Monasteria suscipiantur, quàm ex proventibus & eleemosynis alii possint. Præter Concilium Triden: supra citatum n. 228. Concilium Moguntinum sub Leone III. celebratum, sic habet: *Non ampliùs suscipiantur in Monasterio Monachorum, aut Clericorum, seu etiam puellarum, quàm quot se regere de Bonis Ecclesiæ absq; penuria possint.* Constitutio Bonifacii VIII. c. unic. §. *sanè* de stat. Regular: in 6. sic habet: *Inhibemus, ne in Monasteriis Ordinum non Mendicantium aliquæ recipiantur de cætero in sorores, nisi quot poterunt de ipsorum Monasteriorum Bonis, sive proventibus absq; penuria sustentari. si secus actum fuerit, irritum decernentes.* Hæc eadem S. Pius V. in Constit: quæ incipit: *Circa pastoralis Officii* confirmavit, dicens: „ Et ne propter Monialium numerum excessivum „ clausuræ observatio violetur, inhærentes similiter „ Constitutioni Bonifacii VIII. & Concilii Tridentini, Monialibus, & earum superioribus, & Ordinariis districtè inhibendo, præcipimus & mandamus, „ ne plures in earum Monasteriis recipiant & admittant,

„ tant, ſive recipi & admitti permittant, quam ex „ propriis redditibus ipſorum Monaſteriorum, vel „ conſuetis eleemoſynis, commode ſuſtentari poſſint. Hinc ſi aliqua Domus Religioſa, majores habeat ex ſuis Bonis proventus, plures etiam Perſonas tenetur alere. Proinde nullum Monaſterium plus habet proventuum, quàm ad ſuſtentationem Perſonarum & neceſſaria requiratur.

241 His poſitis probatur conſequentia n. 239. poſita ſi Mendicantes poſſidentes Bona, æquè vivunt ex eleemoſyna, atq; non poſſidentes Bona immobilia, item ſi Mendicantes poſſidentes Bona non plus habent ad ſuſtentationem ſui, atq; non poſſidentes Bona; item ſi Mendicantium poſſidentium Bona, fructus & proventus percepti ex iiſdem Bonis ſunt pura eleemoſyna, atq; mendicantium non poſſidentium Bona, tunc ſi poſteriores Religioſi nempe mendicantes non poſſidentes Bona, liberi ſunt à Contributionibus, nec priores Religioſi nempe poſſidentes Bona ad illas faciendas cogi poſſunt. Item ſi poſterioribus ſurripere eleemoſynam eſt iniquum & impium, etiam prioribus ſurripere fructus & proventus erit contra juſtitiã cũ contra juſtitiã ſit eleemoſynam decimari Nihil autem refert ad rationem Pauperis, ſive ille eleemoſynam vg florenorum 100. comparet à ſingulis Benefactoribus, per partes emendicando, ſive ex ærario alicujus divitis eleemo-

ſynis

ſynis deſtinato, ſimul florenos 100. accipiendo. Dicta extende ad Religioſos non Mendicantes; nam etiam horum Bona ſunt Patrimonium Chriſti, nec illorum dominium habent vi voti ſolennis Paupertatis, ſed ſolam adminiſtrationem.

§. 6.

ILluſtrantur dicta. Si is, qui pauperi proviſam pro 242
una die ſurripuit eleemoſynam, iniquè egiſſe cenſendus eſt, multò magìs iniquus dicendus erit, qui eidem proviſam pro integro anno eripuit eleemoſynam. Nam cui unius diei ablata eſt ſuſtentatio, is ſi ea die fame confectus fuerit, ſequenti die facili negotio talem Benefactorem inveniet, qui miſericordiâ motus, ejus eſuriei ſubveniat, ille verò, cui totius anni, ſublata ſuſtentatio, non facilè talem habebit Benefactorem, qui totius anni proviſionem ſua liberalitate reſarciat, præcipuè ſi de uno paupere hæc ſit apud omnes opinio, quòd nihil poſſidendo purâ eleemoſynâ ſuſtentetur, de altero verò, ſint ſic ſibi perſuaſi homines, quòd poſſidendo Bona, omnium rerum habeat abundantiam. Quamobrem illi Religioſi Mendicantes, qui Bona immobilia poſſident, & ex illis contributiones ſolvunt, minùs cæteris ex ſola eleemoſyna viventibus habent; & ſunt indigentiores, quia eleemoſynam ſuam, vix ſuæ ſuſtentationi ſufficientem, etiam in contributiones partiuntur. Exemplo res pateat. Sint

duo pauperes, æquali provisi eleemosynâ vg. uterq; habeat fl: 100. in hoc casu, unus altero nôn est ditior. Quodsi uni illorum ab aliqua potestate coactiva, vel à latronibus in via, in toto vel in parte auferatur eleemosyna, alterius eleemosynâ in integro permanente, quis neget hunc præ priori esse ditiorem? Pariter de Religiosis Bona immobilia eleemosynæ titulô possidentibus, & ex illis contributiones solventibus, ac de non possidentibus, nec de sua eleemosyna quidquam contribuentibus, dicendum est. Ne itaq; quisquam miretur Monasteria Religiosorum bene fundata, ære alieno gravata esse, & ad eam devenisse egestatem, ut ex redditibus Bonorum suorum vix sui stentationem necessariam Personis providere valeant; superiores enim Locales intenti, ut Fundatorum voluntati satisfiat, ut obeantur muniô & obsequia animarum, pro quibus facta fundatio, plures admittunt ad Monasteria, quàm ex redditibus commodè sustentari possint; quod nisi fieret, & Monasteria sufficienti Religiosorum destituta numerô, corruerent, & Ministeriis ex suo religioso instituto debitis, non satisfieret. Cùm verò tot alendis Personis, & expensis in Contributiones faciendis proventus Bonorum Monasterij non sufficiant, iidem superiores coguntur magna contrahere debita, quibus exsolvendis nunquam pares erunt, nisi extra ordinarijs adjuti fuerint eleemosynis.

§. 7.

§. 7.

JUre quoq; Civili, dicta confirmantur. L. 1. ff. de admin: rer: ad Civit: pertin: sic habetur: *Quod ad certam speciem Civitati relinquitur, in alios usus convertere non licet.* Ergo pariter, quòd relinquitur Domiciliis Religiosis in sustentationem Religiosarum Personarum, in Ornatum Ecclesiæ, in conducenda sacrificia pro defunctis *&c.* id in alios usus, nempe in solvendas Laicis Contributiones, & similia onera convertere non licet. Itèm L. Legatum 16. ff. de usu & usu fr: leg: *Legatum* (fundi) *Civitati relictum, ut ex redditibus quotannis in ea Civiatate, memoriæ defuncti conservandæ gratiâ spectaculum celebretur, quod illic celebrari non licet. Quæro, quid de Legato existimes? Modestinus respondit: Cum testator spectaculum edi voluerit in Civitate, sed tale, quod ibi celebrari non licet, iniquam esse, hanc quantitatem, quam in spectaculum defunctus destinaverit, lucro hæredum cedere. Igitur adhibitis hæredibus, & primoribus Civitatis, dispiciendum esse, in quam rem converti debeat fidei commissum, ut memoria testatoris alio, & licito genere celebretur.* Ex quo sic arguo: Legatum fundum relictum & fructus ex illo expendendos in opus illicitum, Resp: Hæredes & successores non possunt sibi usurpare, nec ex illis lucrum habere, sed id totum debet converti in aliud opus licitum, per quod memoria testatoris celebretur. Ergo à fortiori, legatum fundum & fructus

ex illo percipiendos ac expendendos in opus licitum ac pium, vg in Missas, &c. ut ita memoria Testatoris celebretur, Resp: Hæredes, & successores non possunt sibi usurpare, & in suos usus convertere.

§. 8.

244 Videant itaq; illi qui Inscriptiones piis locis factas, Testamenta & Legata ad pias causas, suis Decretis cassant, vel Census Ecclesiasticos, ad minorem redigunt quantitatem, utrùm rectè id agant, & liberi sint in conscientia coram Deo ab onere restitutionis? Imò quærendum est, unde ea illis, quæ sibi usurpant, in Res Deo dicatas, jus, dominium, potestas? Utinam meminissent horrendæ illius in Anania & saphinam meminissent horrendæ illius in Anania & saphina (de qua Actor: 5.) divinæ vindictæ, quibus liberum erat, vel totum, vel partem, vel nihil de substantia sua dedicasse Deo; totum consecrârunt. Et quia ex consecratis à se sponte Deo, aliquid sibi reservârunt; subitanea morte, in pænam tanti sacrilegij extincti sunt. Hi de eo, quod in ante suum fuerat, Deo subtraxerunt, & tamen Vindicem DEUM sibi factæ injuriæ experti sunt; quæ itaq; illos divina manet ultio, qui non de suis sed de alienis DEO consecratis, vel in toto, vel in parte detrahunt, sibiq; vel aliis contra omne Jus appropriant? Si, ille, qui de proprio semel Deo obtulit, revocare non potest; qua potestate illi, qui nihil in id contulerunt, Deo obla-

oblata de alieno, revocare præsumunt? Donationes inter vivos, jure humano sunt irrevocabiles; Donationes vero Deo factæ, qua authoritate & jurisdictione per Decreta cassativa piorum Legatorum revocantur? Vide dicta n. 154. & sequent.

245 Noto 1. Inter Testamenta Privilegiata recensetur Testamentum in pias Causas, quod censetur tunc esse, quando hæres est pia Causa, aut quando substitutionis viâ, hæreditas devenit ad pias causas, Villalob. in sum: tom: 2. tract: 30. diff: 4. n. 2. &c. Nomine verò piæ Causæ intelligitur, quidquid pro anima sua relictum est, imo. Ecclesiæ vel Monasterio, vel uni cuipiam Monacho intuitu pietatis, non verò contemplatione sanguinitatis vel amicitiæ. Bald. in l. 1. Ver: *Circa personam Cod. de sacros. Eccl*: 2do. Hospitali. Bald: consil: 5. lib. 3. 3tio. Fraternitatibus. *Panor: consil*, 31. *veri venio ad secundum l. 1.* 4to Pauperibus cujuscunq; statûs. *Gloss. Bart. Bald. & Castren: in l. Illud. C. de sacros Eccl.* 5to. Viduis & alijs Miserabilibus Personis. *Specul: in tit: de instrum: edit: §. nunc verò aliqua. V. & scias, quod.* 6to. Pupillis vel Orphanis, si tamen sint pauperes. l. 1. *Cod. quando Imperator inter pupil. & Vid. Gloss in c. omnis ætas.* 7mo. Relictum cuivis pro Anima: *Bart: Bald. in l. C. de sacr. Eccl.* 8vo. Pro redemptione Captivorum. *Id:* 9no. Relictum causa alimentorum, modo relinquatur pau-

peribus, aut iis, qui famem patiuntur. Bart: in l. alio ff. de alim. & ciba. legat: &c. Testamentum itaq; in pias Causas ita privilegiatum est, ut ad Validitatem ejus non requirantur ex solennitates, quæ de Jure Civili aliorum testamentorum ordinationem requiruntur. C. *Cum esses.* & C. *Relatum: extra: de testam:* Hinc duo testes Jure Gentium requisiti non ad validitatem testamenti, in foro conscientiæ sunt necessarij (cùm eos Jus Canonicum non requirat) sed ut possit probari in foro externo, ad ferendam pro ea Judicis sententiam. Proinde Testamentum ad pias causas, manu Testatoris scriptum valet etiam sine Testibus; dummodo constet, quòd scriptura sit facta manu defuncti. Joan: de Imol: in l. si quis cum testamentum n. 5. & 6. ff. de testam. & alii imò etiamsi solùm manu; Testatoris sit subscriptum. Tiraq. de pia cau. priv. 4.

246 Noto 2. Exstant aliquæ Leges Civiles, circa ultimas Voluntates, quæ permittunt totam substantiam relinqui pauperibus, seu in pias causas L. 49. Cod. de Episc: *Si quis ad declinandum Legem Falcidiam, cum desiderat totam suam substantiam pro redemptione Captivorum relinquere, eos ipsos Captivos scripserit Hæredes, ne videatur quasi incertis Personis Hæredibus institutis, judicium suum oppugnandum reliquisse, sancimus, ejusmodi & talem Institutionem pietatis intuitu, valere, & non esse re-*

spuen-

ſpuendam. Sed etſi Pauperes quidem ſcripſerit Hæredes, & non inveniatur certum Prochotrophium, vel certæ Eccleſiæ Pauperes, de quibus teſtator cogitaverit, ſed ſub incerto vocabulo pauperes fuerint Hæredes inſtituti, ſimili modo & hujuſmodi Inſtitutionem valere decernimus etc. Nomine Legis Falcidiæ, intelligitur Lex lata à Falcidio Tribuno, qua cavetur, ne plus legare liceat, quàm Dodrantem, ſeu tres partes Bonorum, ut 4ta pars maneat Hæredi, poſt ſoluta debita, expenſas funeris, ac mercedem funerum. Per Legem ergo Falcidiam Hæres poteſt detrahere à legatis vel donationibus, mortis cauſa factis, partem Bonorum, quouſq; impleat ſuam Legitimam, per illa legata vel donationes imminutam, ſi ſit Hæres Neceſſarius; quales ſunt in linea recta deſcendentes; aut quouſq; ſeparet 4tam partem Bonorum, ſi ſit Hæres, cui nulla debetur Legitima: Hæc Lex Falcidia etiam jure Canonico non habet locum in reliquis ad pias cauſas, ut ſtatuit Benedict: XI. in extra vag. Inter cunctas 1. de privil: *Relicta pauperibus, non patiuntur Falcidiam.* Item l. 24. Cod de Epiſc: *Id quod pauperibus teſtamento, vel codicillo relinquitur, non ut incertis Perſonis relictum, evaneſcat, ſed omnibus modis ratum firmumq; conſiſtat.* Ibid. L. 28. *Nulli licere decernimus, ſive teſtamento Hæres ſit inſtitutus, ſive ab inteſtato ſuccedat ſive fidei Commiſſarius, vel legatarius inveniatur, diſpoſitionis pii Teſtatoris, vel improbamen-*

bamente violare, asserendo, incertum esse legatum, vel fidei commissum, quod redemptioni captivorum relinquitur, sed modis omnibus exactum pro voluntate restatoris piæ rei negotio proficere.

247 Noto 3. Quòd pia legata sint extra limites jurisdictionis Laicalis, ut asserit Bonac: de Contract: disp: 3. q. 18. p. 1. § 10. n. 1. Hinc Judex Laicus non potest se intromittere in causis Ecclesiasticis vel Ecclesiasticorum sub pæna Excommunicationis latæ in Bulla Cœnæ Domini. Idem in Bull. Cæn: 13. d. 1. q. 15. p. 4. §. 1. n. 5 & plurimi alij. C. Tua *de testamen: Cum igitur in omnibus piis Voluntatibus sit per locorum, Episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, &c.* Clement: *Quia contingit: de Relig: domi: dicitur: Cum ea, quæ ad certum usum sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva sedis Apostolicæ authoritate) converti &c.* Quam Constitutitutionem Concilium Tridentinum sess: 7. de Refor: c. 15. innovat, ejusq; executionem Locorum Ordinariis commendat. Idem habetur sess. 25. c. 8. de Refor: . . . Hunc spectant dicta n. 26. & sequent.

PUN-

CONCLUSIONES
ACADEMICÆ

Ex Tractatu de Gratia Christi.

I. GRatia ſufficiens in ſenſu Eccleſiæ eſt, quæ effectu, ad quem datur, caret, ex culpa voluntatis, ad eum tamen ponendum dat veram potentiã, etiam relativè ad præſentem difficultatem, tentationem, ac metum concupiſcentiæ.

II. SUppoſito etiam peccato Originali DEUS verè ac ſincerè vult voluntate antecedente beneplaciti omnes & ſingulos homines ſalvare & Chriſtus Dominus pro omnibus & ſingulis mortuus eſt; ac Sangvinis ſui pretium pro omnibus obtulit DEO Patri.

III. PEccatoribus etiam excæcatis & obduratis, datur Gratia ſufficiens ad Converſionem, non Omnibûs tamen momentîs, ſed certîs temporibûs.

Ex Tractatu de Sacramentis.

I. AD veritatem & integritatem substantialem SACRAMENTI, necessaria est interna Ministri intentio, qua velit non fingere ac simulare, sed verè ac seriò facere simpliciter ac generatim saltim id, quod facit Ecclesia.

II. IN Nova Lege existunt Septem Sacramenta, nec plura, nec pauciora.

III. AD valorem Sacramenti non requiritur in Ministro probitas sive Sanctitas vitæ.

Ex THEOLOGIA MORALI.

I. LEx est præceptum commune justum & stabile ad bonum publicum à Superiore sancitum & promulgatum.

II. QUando lex sufficienter est promulgata non solùm obligat eos, quibus innotuit, sed etiam eos, qui eam ignorant, & tenentur scire.

III. ETsi Lex naturalis mutari possit per additionem, in se tamen immutabilis est ita, ut nec abrogari possit, nec desinat obligare.

Ex Controversa.

I. EUcharistia est Sacramentum Novæ Legis à Christo institutum ad cælestem animarum nostrarum alimoniam, in quo Corpus, & Sangvis ejus verè realiter ac substantialiter continentur.

II. ESt reliquis Sacramentis longè perfectius & excellentius.

III. NOn est in re necessarium necessitate medii ad Salutem.

Ex

Ex jure Canonico.

I. IMmunitas, Ecclesiastica est privilegium sive jus, quo res vel Persona Ecclesiastica eximuntur ab oneribus quibusdam aliis reb9 vel Personis communibus.

II. HÆc immunitas est triplex, localis, realis, Personalis.

III. GAudent immunitate locali Ecclesiæ non tantùm Consecratæ, sed etiam benedictæ Authoritate Episcopi vel ad publicum usum Divinorum destinatæ.

Ex LOGICA.

I. AD scientiam Philosophicè talem sola requiritur & sufficit Certitudo Metaphysica.

II. LOgica totaliter sumpta est simpliciter practica, cujus objectum sunt omnes tres operationes intellectûs, non verò res *v.* voces externæ.

III. INdifferentia ad actum secundum tollitur per actum secundum.

Ex PHYSICA.

I. DAntur formæ Substantiales partiales in Composito humano tantùm.

II. TOtum Compositum Substantiale Physicum non distingvitur realiter ab omnibus suis partibus collective sumptis.

III. IMplicat infinitum Cathegorematicum creatum in quacunq; ratione.

Ex METAPHYSICA

I. Essentia non distingvitur realiter ab existentia.

II. POssibilitas Creaturæ actuata in re est ipsa Creatura actu existens, proportionatè loquendum de possibili non existente.

III. NOn dantur Negationes objectivæ, quæ sunt purum non esse rei.

Ex ETHICA.

I. Mens movet Voluntatem ad agendum.

II. Existit in nobis Libertas.

III. PRincipia aquisita actuum humanorum sunt Virtutes & Vitia.

Ex MATHEMATICA.

I. ALgebræ notitiam indicare, ac juxta eandem calculum quadratum tum determinatarum tum indeterminatarum ostendere.

II. DAtîs ~~omni~~bûs numeris tertium continuè proportionalem invenire. Item datis tribûs, quartum continuè proportionalem invenire.

III. EXtrahere radicem quadratam ex dato Numero; item ex dato Numero extrahere radicem Cubicam.

Defendentur publicè à Reverendo Domino PETRO ROBOROWICZ *Marianæ Academiæ Rectore: in Aula Karnkoviana & Lubieniana Collegii Calissiensis Societatis JESU. Die 26. Januarii 1758.*